De Hercule Oetaeo Annaeana.

Abhandlung

zum Jahresbericht des städtischen Realgymnasiums zu Chemnitz für Ostern 1890

vom

Oberlehrer P. Melzer.

Chemnitz.

Druck von J. C. F. Pickenhahn & Sohn.

1890.

1890. Progr.-Nr. 543.

De Hercule Oetaeo Annaeana.

Iterum ac saepius legenti mihi Herculem Oetaeum persuasum est ita non esse perfectam fabulam, ut omnium Annaeanarum tragoediarum nulla sit imperfectior. Insunt in hac scenae, quae ab auctore, cum de totius fabulae consilio et ordine nondum satis constaret, compositae esse videantur. Nam et plures habemus eiusdem consilii scenas et male cohaerentes et inter se pugnantes. Quod ut demonstremus, paulo altius repetendum est.

Si secundum Herculis Oetaei actum animo complectimur, non possumus non laudare. Ita enim scriptus est, ut gnarissimum se praebeat poeta humanae naturae. Primo enim Deianira summo irae impetu incitata acerbissimis verbis animum levat nec minis parcit crudelissimis, admonitiones nutricis spernit ac vix locum verbis eius relinquit (Herc. Oet 256—314). Mox ubi ingenio satisfecit et monenti aures praebuit placidiores (v. 314—379), in timorem flectitur atque imparem se esse aemulae forma et iuventate dolet (v. 380—409). Sed iterum resurgit ira solitae Herculi levitatis et perfidiae memoria (v. 410—434). At repugnat nutricis verbis excitatus amor mariti ne nunc quidem deletus et postquam nutrix de reconciliando Herculis animo cogitare coepit, Deianira ipsa quoque spem novam colligit et amatorio Herculem temptare constituit (v. 449—538). Hic fortasse quispiam in eo offenderit, quod v. 473 subito Deianira consilium mutat. Quae cum multis verbis (v. 465—72) magicam artem spreverit, breviter a nutrice monita (472: Vicit et superos Amor) ad eandem illam artem confugit (v. 473 sq.). Sed plurima sunt in Seneca tam subito mutati animi exempla. In Thyeste enim Atreus diu dubitat, num conscios fraudis filios mittat, qui ficta regni spe patruum domum revocent (inde a v. 316). Quod cum primum improbaverit (v. 317—23), tum facere constituerit (v. 324—30), repente iam paene scena egressus (330: „eatur") consilium modo captum revocat (v. 330 sq.). Jtem in eadem fabula Thyestes, quamquam diu regnum a fratre sibi oblatum detrectavit (inde a v. 531) ac modo v. 540 certum sibi esse consilium regna respuere professus est, v. 542 laete dicit: ‚accipio'. In Agamemnone Clytaemnestra plurimis causis moveri se dicit, ut Aegistho deserto coniugis fidem et officia rursus occupet (v. 239—90), moechi gentem acerbissimis probris afficit, ipsum, quem virum esse negat, propere abire iubet (v. 290—301): cum subito quattuor extremis versibus (v. 306—9) cum eo in gratiam redit. Adduntur nimirum in omnibus his locis causae, cur consilium modo captum mutetur; sed cum brevissimae sint (paucissimis enim verbis iactari solent) et ad persuadendum spretis multo gravioribus haud ita idoneae, tam subita voluntatum mutatione opprimimur.

Quod cum Senecae proprium esse videatur, aliud est, in quo graviter offendimus. Rectissimus enim ille, quem supra diximus, affectuum decursus una re turbatur, quod v. 436 sq. iterum de interficiendo marito cogitatur. Nam prius necis consilium a Deianira haud ita aperte significatum (deos enim ad ultionem evocavit ac summum est, quod utendam se eis obtulit 267 sq.), a nutrice subtili sensu intellectum (v. 315 sq.) excusationem habet et a primae irae im-

ab ipsa illa verecundia, qua sentitur potius quam pronuntiatur. At posterius hoc et nimis apertum est — iam enim nex quomodo fieri possit, deliberatur — et loco, quo legitur, vix aptum — iam enim defervuit primus furor et mitiores animos cepit Deianira. Deinde aegre ferimus, quod bis iisdem verbis nutrix orditur: ‚perimes maritum‘ (315. 436). Denique extrema Deianirae verba, quibus ampliori orationi finem facit, simile praebent argumentum: languere dolorem sentit et ut servet impetum, se adhortatur (307 sq. 434/5). Nec cur locum iterum tractaverit poeta, difficile est intellegere. Allexerunt eum colores hi egregii:

v. 436: Nutr. Perimes maritum? Dei. Paelicis certe meae.
Nutr. At Jove creatum? Dei. Nempe et Alcmena satum.
439: Nutr. Quis iste furor est? Dei. Quem meus coniunx docet.
Nutr. Quem nec noverca potuit, hunc perimes virum?
Dei. Caelestis ira, quos premit, miseros facit: humana nullos.

Procedente igitur opere inciderunt poetae, quae meliora videbantur, quam quae scripserat. Addidit haec, ne scribendi cursum interrumperet, ac posteriori curae reliquit alterum locum aut delere aut cum altero in unum conflare.

Similis ratio est eius scenae, in qua Deianira moriendum sibi esse statuit (v. 842 sq.). Quae scena, si tota spectatur, laude non indigna ex parte quadam laborat. Moriendi enim consilio capto Deianira multis verbis de genere mortis dubitat. Cum enim nemini facile sit ipsum sibi manum inferre, variae necis imagines oculis proponit, quasi ut animum ad feram speciem assuefaciat et ad audax facinus confirmet. Idem facit Jocasta in Oedipo quamvis paucioribus (1024 sq.). Sed iure suo Leo [1]) in hoc loco vituperavit, quod ter Deianira ferrum sibi eligit, ter improbat (v. 845. 858. 868). Praeterea bis similis causa, cur ferrum improbetur, additur: leviorem hanc esse mortem (v. 846/7. 870). Hinc autem loci inter se discrepant: in illo enim (847 sq.) Jovis, in hoc hominum manus implorantur (871). Tertio loco (859 sq.) ferrum aspernata de rupe praecipitari praeoptat. Videmus igitur poetam ter a similibus initiis profectum ad diversas progredi sententias: ubertate scilicet ingenii abripi se passus, quaecunque in mentem venerunt, scripsit. Accessit, quod et Vergili locus Didonis mortem describentis (Aen. IV, 494) [2]) et Horati Od. III, 27, 37 (levis una mors est = Herc. Oet. 866) animum scribentis movebant.

Hyllus et nutrix irascenti primum spatium reliquerant sperantes dolorem suo se impetu esse consumpturum. Mox Hyllus rationibus matrem a moriendi consilio revocare contendit (v. 884—924); quas cum frustra exhauserit, nutrix, ut par est mulierem, ad preces descendit (v. 925 sq.) et ne malam de se existimationem relinquat, monet (932 sq.). In singulis non desunt, quibus offendamur. Ter enim eadem sententia ab Hyllo profertur: errorem culpa vacare (885 sq. 900 sq. 983). Atque quod v. 983 redit, bene est: haec enim gravissima causa est, cur Deianira sibi ignoscat, quam in fine, cum cetera defecerint, repeti non miramur. Praeterea bis legitur ‚voluntaria morte Deianiram ipsam de se fateri‘ (889. 898). Nec quae respondentur, inter se diversa sunt. Subest enim utrimque haec sententia: voluntaria morte innocentia probatur. Lege:

v. 890: Mors innocentes sola deceptos facit.
899: Nemo nocens sibi ipse poenas irrogat. [3])

Tertium est, quod versibus 895/6 iusta sententiarum series male interrumpitur. Recte enim haec procedunt:

---

[1]) L. Annaei Senecae tragoediae. ed. Fridericus Leo. Berolini. 1878. I. p. 54.

[2]) Hoc Leo monuit l. l. Iniuria autem in eo offendit, quod ensis Herculis commemoratur (v. 868/9): In eundem errorem Seneca incidit Herc. fur. 1229, ubi codd. ‚ensem‘ omnes praebent.

[3]) Sic A. Quod praebet E ‚abrogat‘, postularet, ut vere Deianira ipsa se nocentem putaret, id quod plurimis locis negat. cf. 748. 887 sq., 890, 964—7, ubi fato et Nessi fraudi culpa tribuitur.

v. 892: Hyll. Vitam relinques? D. Miseram, ut Alciden sequar.
H. Superest et auras ille caelestes trahit.
D. Vinci Hercules cum potuit, hinc coepit mori.
897: H. Virum sequeris. D. Praegredi castae solent.
895: H. Natum relinques fataque abrumpes tua?
D. Quamcumque natus sepelit, haec vixit diu.

Sed dubito, an sic restituendus sit versuum ordo scribarum errore turbatus. Accedit, quod spem ab Hyllo oblatam etiam ex hoc certamine Herculem, ut soleat, victorem discessurum esse (911 sq.) melius legeremus post eos versus, quibus vivere adhuc illum Hyllus dixit (v. 893/4).

His rebus certe efficitur, ut haud ita bene singula disposita esse putemus: scripsit nimirum poeta, ut quaeque cogitanti se obtulerunt.

Nec quae sequuntur Deianirae verba offensione vacant (v. 934 sq.). Vix enim ferri potest, quod post longas illas de mortis genere dubitationes denuo Deianira eodem revolvitur (970—1002). Ac per se haec scena laude non indigna est. Vehementissime enim movet animos haec Deianira, quae supplex ipsa se manibus irati coniugis offert, quasi sentiat hoc potissimum eum flagrare desiderio, et tantum hoc timet, ne vires illum defecerint, nec atrox Lichae fatum pati aut ut feram feriri reformidat. Ac cum Hyllus ultimum furentem eius animum lenire conetur, ipsius filii manus implorat pietatem esse testans, quae patrem eripuerit, matrem interimere; ipsam se parricidii magistram praebet; intrepide ictum se excepturam pollicetur; quin ignaviae crimini non parcit. Quae si sola leguntur, optima sunt; si post illa (845 sq.), legentes defatigant. Adde, quod ne loco quidem apto collocata sunt. Nam v. 936—963 ad inferos iam descendisse Deianira sibi visa est, poenam sociasque sibi elegit, neminem sui parem inveniri doluit. Haec optime continuarentur v. 1002 sq., quibus furias praesentes se videre opinatur. V. 964—970 eo nimirum consilio inserti sunt, ut de morte iterum verba possent fieri; cum eis, quae antecedunt, vix cohaerent.

Veniamus nunc ad quartum fabulae actum. Ac recte Heinsius (ed. Gron. p. 600) nostrum vituperavit, quod „hic Jovis ille filius, membra dum dilaniat sua, ducentos et amplius versus declamat. Et in occupatione tam molesta multa dicit, quae vix ociosus declamator in schola effunderet“. Recte, inquam, sic iudicavit nec tamen iuste. Justus enim is est, qui temporum ratione habita et propria cuiusque auctoris virtute respecta iudicat. Erat autem Senecae et aequalium eius proprium, ut rhetoricae arti plus tribuerent quam poeticae, erat otiosus declamator, qui has tragoedias composuit. Quo concesso et excusato non possumus facere, quin laudemus trecentos hos versus. Pulcherrime enim assurgit oratio atque ita, ut decet heroem et poscit natura humani doloris. Heros enim primum dolet, quod defendendi mundi officium a patre sibi delatum iam non possit sustinere (v. 1131—50); indignatur deinde, quod tam debili et pudendo auctori mortem debeat tot tantisque rebus fortiter feliciterque gestis (v. 1161—1206); tum dolore intolerabiliter crescente describit morbum, quo ingens corpus hauritur et membra intuens, quibus plurima facinora perpetravit, nunc a caeco hoste consumpta lamentatur nec lacrimis temperat adhuc sibi ignotis (v. 1218—1278); denique dolori impar et animo fractus ad preces descendit et mortem petit primum a patre, cuius manu dignissime moriatur, deinde a fratre et sorore, qui hoc sibi debeant pietatis munus, tum a noverca, quam par sit adversarii morte laetari, denique a mundo, cuius olim vindex fuerit (v. 1290—1336). Pulcherrima profecto haec sunt, quamquam nube rhetoricorum flosculorum velata latent, atque optime procederet actio, si post haec sopore oppressus Hercules procumberet — iam enim acerrime exarsit morbus — paulo post scenam introiret Hyllus, qui, ut fit apud Sophoclem, flebili voce patrem excitaret. At Alcmena post v. 1336 intromittitur, cum qua denuo Hercules lamentatur. Quod ne fieret, Sophocles absentem finxit (Trach. 1151 sq.) ac ne Senecam quidem fugere potuit vitiari fabulam tam molesta

repetitione. Quae eo molestior est, quod plurima, quae Hercules cum Alcmena colloquitur, antea solus pronuntiavit. Confer haec:

v. 1343: Ubi membra sunt? ubi illa, quae mundum tulit stelligera cervix?
cf. 1235—46.

v. 1344: quis tibi exiguam tui
partem reliquit? Herc. Herculem spectas quidem,
mater, sed umbram, et vile nescio quid mei. agnosce mater.
cf. 1233: en cernite, urbes, cernite ex illo Hercule
quid iam supersit. Herculem agnoscis pater?

1349: quis feram mundus novam,
quae terra genuit? quodve tam dirum nefas
de te triumphat? victor Herculeus quis est?
cf. 1251—58: quis te — pontus, quae — Tethys genuit aut — Calpe — ? — utrumne serpens aut — ignotum malum? numquid —? quis voltus tibi est? Concede saltem scire, quo peream malo.

1359—63: morbus describitur. cf. 1218 sq.

1369 sq.: quod frustra semel vicerit mortem, Hercules dolet. cf. 1196 sq.

1372: nil inde ducam, quid times iterum Herculem?
cf. 1244 sq.: quis mea custos manu trahetur ultra Stygius?

1373: invade, mors, non trepida: iam possum mori.
cf. 1317: — noverca: sparge tu saltem precor telum: perire feminae possum manu.

1377—95: negat Hercules fleturum se esse, etsi crudelissimis cruciatibus torqueretur; cf. 1265—74, ubi nunquam se flevisse nisi tum affirmat.

1399: ubi morbus, ubinam est? — procedat huc.
cf. 1249: quaecumque pestis viscere in nostro lates,
procede — quid me vulnere occulto petis?

Itaque sic iudicabimus: priorem scenam scripsit Seneca Sophoclem secutus, qui solum fecit Herculem lamentantem. Mox in cogitationem incidit optimam novandi aliquid praeberi occasionem Alcmena in scenam missa. Itaque posteriorem composuit. Sed ingenio quamvis uberrimo in illa scribenda exhausto, quid adderet novi, non habuit.

Restat, ut de choro (v. 1518 sq.) verba faciamus: cuius duae sunt partes inter se simillimae. Quarum alterius hoc est argumentum (1518—75):

Nuntiet Sol notissimum omnibus populis Herculem obisse (1518—30). Quis erit mundi vindex, si nova monstra oriantur? (1531—49). Ad inferos descendit Hercules, ubi inter mortuorum iudices erit (1550—63). Fallimur: virtus inter astra locum habet (1564—75).

Simillimum est alterius argumentum (1576—1606):

Sempiterna erit Herculis memoria (1576—86). Nullum iam monstrum, precamur, nascatur in terris aut reddatur terrae relictae vindex (1587—94). Sonante mundo in caelum ascendisse Herculem significatur (1595—99) an visum Herculem tremuere inferi (1600—2)? Fallimur: laetus Philoctetae ab Herculis funere venientis vultus prodit bene cum illo actum esse (1603—6).

Quibus comparatis quid potest esse apertius quam eundem nos tenere chorum bis elaboratum?

Sed haec hactenus. Alterum est, quo breviter delineatam, non absolutam esse Herculem Oetaeum moneamur. Inveniuntur enim, quae parum inter se concinant.

Iam supra diximus, absurdum videri, quod media in scena ac luce palla Herculi mittenda illinitur (v. 565/6). Antea enim Deianira venenum illud ipsam se remotissimo regiae loco abdidisse dixerat, quo nulla unquam lux penetravisset (485 sq.) atque etiam Nessi verba addiderat tenebris

illud tegi iubentis (531 sq. et 719 sq.). Ac multo etiam ineptior res videbitur, si, id quod infra dicitur (v. 735), vellere pallam tinctam esse reputaveris. Quod nisi late passa veste fieri non potest. Quid igitur? In ipso opere videmus poetam laborantem. Qui cum paulum ab exemplari suo declinavisset eo, quod res aliter in actus disposuit, iam eo debuit progredi, ut nutrici pallae praeparandae curam deferret. Ne tamen Deianiram prorsus expertem faceret eius operis, quod sibi soli, ut est in Sophocle, eam permittere par est, coram illa pallam a nutrice illini finxit. Unde in illam, quam diximus, difficultatem poeta incidit. Quam ipsum sensisse et aegre tulisse duabus rebus probari videtur. Totus enim locus ita est corruptus et lacunosus (715 sq.), ut haud ab re sit colligere ab ipso poeta eum non esse absolutum, praesertim cum idem infra factum esse videatur (cf. p. 8). Accedit, quod tota scena non satis apparet, utrum forte casuque, ut in Sophocle, an praesagiente animo, ut rem experiatur, Deianira vellus, quo vestem tinxerat, solibus exponat (cf. v. 719 et 725, qualis in E est.).

Etiam in Hylli moribus describendis Seneca certum consilium aut non habuit aut non tenuit. Posuit autem, ut infra videbimus, Hyllum, priusquam scenam introiret, comperisse matrem a Nesso deceptam. Hoc necessarium videbatur, ut esset, qui Deianiram ipsam se dammantem defenderet et excusaret. Hinc etiam est, quod placidissime Hyllus haec matris verba audit:

v. 914: Exedit artus virus ut fama est hydrae.

Quin ipse paulo post addit:

v. 920: sanguis hunc Nessi opprimet —?

Quibuscum male consentiunt extrema Hylli verba:

1027: o misera pietas: si mori matrem vetas,
patri es scelestus; si mori pateris, tamen
in matre peccas — urguet hinc illinc scelus.
inhibenda tamen est, verum ut eripiam scelus.

Pulcherrimus hic locus esset, si scelere matris patrem mori Hyllus putaret; nunc ineptissimus est, cum Nessi fraude illum iacere sciat.

Tertium erat, quod male cohaerere scenas quasdam diximus. Cuius rei unum, quod in hac parte fabulae habemus, exemplum supra commemoratum est (cf. p. 5).

Iam ad ceteras fabulae partes, quas adhuc non respeximus, transeundum est.

Mediam fabulam Seneca cum scripsisset aut, id quod verisimilius est, animo disposuisset, haesit dubius, quomodo rem conficeret. Tres enim erant actus, at quinque postulabat solitus tragoediarum ambitus. Neque is erat Seneca, qui legem hanc antiquitate sanctam neglegeret. De quo rectissime Henricus Weil*) sic iudicavit: „les règles de convention, comme les trois interlocuteurs, les cinq actes, sont du nombres de celles, avec lesquelles un auteur ne peut transiger, lorsqu'il a pour auditeurs des gens, qui se piquent de science et de critique. Il suffit de savoir compter sur les doigts pour lui en remontrer, s'il s'avisait de les violer." Ac de explenda tragoedia cogitanti primum offerebatur quintus actus. Quoniam enim in Oeta moriturus Hercules scena elatus erat, duabus omnino rationibus fabula continuari ac finiri potuit: aut narranda erat Herculis mors et apotheosis aut ipsi erat in ϑεολογείῳ apparendum. Utrumque in Hercule Oetaeo fieri videmus. Primum enim in scenam prodit Philoctetes et multis verbis mortem Herculis describit (v. 1607—1755). Ubi vero eo ventum est, ut, quomodo excesserit, narretur, lacuna in codicibus est. Neque enim sic, ut nunc fit, finiri potest narratio: summae virtutis et constantiae exemplo edito Herculem oculos non pressisse, cum iam flammae caput eius occupassent. Sed aut combustum et mortuum esse Herculem dicendum erat aut ipso ex rogo ad astra illum ascendisse.

*) Revue archéol. nouv. sér. VI. année XI. vol. p. 35.

Hoc autem et communi fabulae memoria traditur et multis antecedentis scenae verbis significatur. Lege haec:

v. 1645: voltus petentis astra, non ignes erat.
1703: Herc.: — spiritum admitte hunc precor
in astra.
1709: Herc.: — licet tu sidera et mundum neges,
ultro, pater, cogere.
1725: vocat ecce iam me genitor et pandit polos;
venio pater.

An laeto voltu Philoctetam ab Herculis funere venturum esse putamus (v. 1603), nisi victor ignes evasisset heros? Aut quid aliud significare potest quater illud decantatum (v. 1610—16): iam flammas quoque ab Hercule victas esse? Quod autem chorus primis verbis Philoctetam interrogat, quonam vultu tulerit Alcides necem (v. 1608), non obstat huic opinioni. Miram enim rem suspicari non potest. Praeterea vel ideo ita interrogari voluit Seneca, ut responderi possit egregie: v. 1609: quo nemo vitam. Denique quod non ante omnia inter deos receptum esse Herculem nuntius pronuntiat, inde factum esse videtur, quod totum Senecae animum occupaverat color ille, quem diximus: inter labores Herculeos ignem quoque abisse. Quo quantopere delectetur, etiam inde colligi potest, quod eodem supra non potuit non uti. cf. 340 sq.

elisis feris
et coniugem addat, inter Herculeos licet
me quoque labores numeret.
816: — fiat hic (Lichas) summus labor.[1])

Itaque extrema narrationis aut in codicibus nostris interciderunt aut, id quod ex imperfecto reliquae tragoediae statu facile colligitur, ab auctore non scripta sunt. Mutato enim subito consilio Senecam alteram viam ingredi videmus, qua finem fabulae imponi potuisse demonstravimus. Procedit enim Alcmena et fato cessisse Jovis filium queritur. Quam cum frustra Hyllus consolari conatus sit, ipse Hercules apparet et inter deos se receptum esse canit (v. 1755—1996).

Ac recte hic quoque Heinsius (ed. Gron. p. 600): „iam ex machina dissolvit drama, in quo nulla est ἀμηχανία. Nihil enim opus est matris causa apparere Herculem, cum per se soluta sit actio." Soluta est sane actio, si nuntius in caelum illum a Jove patre sublatum esse antea rettulit, ac post haec ea, quae inde a v. 1755 leguntur, non solum supervacanea sunt, sed prorsus inepta et intolerabilia. Quae ea tantum condicione stare possunt, ut vulgari mytho spreto auctor Herculem finxerit cremari et mori visum esse. Atque hoc Alcmena ipsa dicit:

1759: Timete, superi, fata: tam parvus cinis
Herculeus, huc huc ille decrevit gigans.
o quanta, Titan, ad nihil moles abit.
1956: certe ego te vidi flagrantibus
impositum silvis, cum plurimus
in caelum fureret flammae metus:
arsisti — cur te, cur ultima
non tenuere tuas umbras loca?

[1]) Aliud est, quod v. 473/4 legitur:
Vincetur uni forsan et spolium dabit
Amorque summus fiet Alcidae labor.
Hic enim speratur fore, ut amori Hercules succumbat.

In illis autem luculentissimum habes exemplum, quo, qua fuerit indole Seneca, optime intelligitur: una sententia septies verbis variatur.

Quo posito ne his quidem scenis laudem quandam negare possumus. Latet enim in tumidis orationibus optimarum sententiarum magna copia satis apte disposita. Primum enim Alcmena Herculem quoque morti potuisse succumbere queritur (v. 1758—1776), mori ipsa cupit tanto filio privata (1776—78), invidet Amphitryoni florente nato mortuo (1778—82), ex tot filii hostibus ultionem timet (1782—1796), quo confugiat, consilii inops dubitat (1796—1821), quod sepulcrum Herculem deceat, cogitat (1821—27), postremo ex metu se recipit praeclare sperans etiam umbram Herculis se defensuram. Tum Hyllus accedit, qui, ut Alcmenam consoletur, aeternam esse virtutis memoriam profitetur (1831—9).[1] Spreto hoc solatio, quo feminae vix solent uti, iterum in questus Alcmena revolvitur (1840—1939). Postremo Hercules apparet, ut ipse matris lacrimis succurrat et deum se esse pronuntiet (1940—3). Nec statim fidem facit: ab inferis filium redisse mater suspicatur (1944—62). Tum iterum in deorum numerum relatum se esse Hercules refert, matrem flere vetat, poenas Eurysthei canit. Post in caelum evolat (1963—76). Erecto animo Alcmena novum numen colere instituit (1977—82). Chorus virtutem ad superos iter pandere intellegit et a divo Hercule auxilium, si novae beluae oriantur, petit (1983—96).

Quae cum laude non indigna videantur, mirari possumus condicionem, qua non data stare haec nequeunt: in rogo Herculem mori visum esse. Fortasse autem scribenti Senecae in mentem venit Homeri, qui (Od. 11, 601 sq.) *εἴδωλον* Herculis apud inferos versari, ipsum deorum epulis delectari narrat. Mortalem igitur Herculem a divino dividit. Quem secutus Seneca Herculem dicentem facit:

1966: quidquid in nobis tui
mortale fuerat, ignis evictus tulit:[2])
paterna caelo, pars data est flammis tua.

Cur vero, cum antea per narrationem rem egisset, novas has scenas componere maluerit Seneca, plures possunt cogitari causae. Quarum una est, quod Alcmenae semel in scenam intromissae plus loci tribuendum esse videbatur. Altera est, quod nisi sic apotheosis ipsa agi non potuit. Nam rogum in scena exstrui, ex quo heros in caelum evolaret, ne Seneca quidem forte tolerabile duxit. Itaque virum fortem specie quidem mori finxit, re vera clam in caelum elabi, unde redux heros ipse se praesens deum caneret. Quantopere autem Senecam iuverit deos in scenam mittere, notum est. Accedit, quod multo maior praebebatur scenarum varietas, cum una scena narrationi sufficeret. Nec levissimum est, quod singula et sententiarum et verborum lumina Senecam allexisse videntur. Inter haec sunt: Herculem in parvulum cineris acervum reductum esse, v. 1758—64, praecipue v. 1763: quam leve est pondus mihi,
cui totus aether pondus incubuit leve.

1767: non ut et spolium trahas
rursusque Theseus debeat lucem tibi —
sed quanto solus?

1773: vadis ad manes iter habiturus unum.

[1]) Leo in textu post v. 1839, in adnot. post v 1837 lacunam statuit sic fere supplendam: (non sola maeres) vindice amisso dolent terra atque pelagus quaeque purpureus dies e. q. s.

Sed hanc sententiam a v. 758/9 mutuatus est:

Hyll. non sola maeres Herculem toto iacet mundo gemendus.

Tum eius modi omnino nihil hic desideramus; sed post v. 1831 sq. de virtutis et gloriae immortalitate quaedam exspectamus, quae post v. 1839 inserantur: ‚terra, mare, oriens occidensque noverunt laudes Herculis memoriamque eius ita sempiternam servabunt, ut non mortuus esse, sed vivere ille videatur.'

[2]) Frustra Leo haec verba impugnavit (l. l. p. 65). Breviter enim dicta sunt pro his: quidquid in nobis tui, hoc est mortale fuerat i. e. t. cf. Herc. fur. 1186: tacita sic abeant mala = tacita, hoc est sic (cum gestu pronuntiandum), a. m.

1806: nunc datum est tempus: datum est
videre natum laude certantem Jovi,
ut et hoc daretur, scire quid fatum mihi
eripere posset.
1826: quae tibi sepulchra, nate, quis tumulus sat est?
hic totus orbis; fama erit titulus tibi.
1828: quid, anime, trepidas? Herculis cineres tenes;
complectere ossa: reliquiae auxilium dabunt,
erunt satis praesidia, terrebunt tuae
reges vel umbrae.

Haec omnia, nisi si mori visus erat Hercules, declamari non potuerunt.

Vidimus igitur utrumque locum (1607—1755 et 1755—1996), si per se legitur, haud contemnendum esse (nam ille et nemini fuit offensioni et, cum narrationem contineat, simplicior est), sin alter post alterum, posteriorem ineptissimum ac paene qui nauseam moveat videri. Ex hoc nonne apparet gemellas nos habere scenas eodem consilio, ut finem facerent fabulae, compositas, quarum alteram auctor, si summam manum operi imposuisset, deleturus fuisset?

Sed in posteriore parte etiam est, in quo haereamus. Post lacunam enim, quam statuimus (v. 1840), tamquam de novo Alcmena orditur lamentari, et quae inde promit, et numero versuum et sententiarum orbe sola per se sufficiunt. Ac multa hic repetuntur, quae iam antea leguntur. Enumerantur enim et hic et illic Herculei labores et terrae, quas ille purgavit (1868 sq. 1785 sq.), inter quae eadem bis commemorantur: Arcades 1883—90 cf. 1811 sq. Cleonae Argolicae 1891—4 cf. 1811. Thracia et Hebrus 1894—8 cf. 1817 sq. Antaeus 1899 cf. 1787 sq. Atlas 1905—8 cf. 1764. Semeles sorti invidetur v. 1914 sq. et 1803 sq. Ad umbras Herculem mansurum esse speratur 1839 et 1773/4. Priorem igitur locum (1758—1831) iterum tractavisse Seneca videtur: unde posterior hic (1840—1939) factus est. Etenim ingenium satis fecundum nondum exhauserat, sed multa et praeclara, quae diceret, habebat. Lege haec:

1840: quot misera in uno condidi natos parens.
1847: quidquid negaret Juppiter, daret Hercules.

Niobes sorte spreta sic pergitur:

1852: matribus miseris adhuc
exemplar ingens derat: Alcmene dabo.
1861: invidiam ut deis
lugendo facias, advoca in planctus genus.

Hinc totum mundum perlustrandi facultas dabatur Senecae gratissima. Quae vero media leguntur Hylli et Alcmenae verba (1831—9), ipsa quoque scenam faciunt aut non perfectam ab auctore aut misere traditam. Pauca enim haec Hylli verba non sufficiunt. Sed etiam si excidisse quaedam, ut supra diximus (p. 9 adn.), putemus, male haec cum ultima fabulae scena concinunt, in qua, quamquam non est, cur exisse Hyllum existimemus, nullus respicitur: at praesentem filium neglexisse divum patrem vix par est.

Summae igitur undique offeruntur difficultates: quibus omnibus una re facile potest occurri, ut, cum de totius fabulae consilio et dispositione nondum satis constitisset, uberis ingenii omnibus fontibus apertis vagum errasse Senecam credamus.

Eodem pertinent, quae de primo actu dicenda erunt. Quoniam enim, ut plena esset tragoedia, quattuor actibus scriptis unus desiderabatur, materia autem Hercule in caelum sublato consumpta erat et exhausta, quid relinquebatur, nisi ut initio fabulae aliquid assueretur? Ac cogitanti paene ultro Senecae in mentem venisse videtur Herculem tum, cum ea, quae in fabula sunt, Trachine gerebantur, in Cenaeo promunturio Jovi fuisse sacrificaturum, unde Lichan cum captivis domum misisse (Soph. Trach. 237/8). Quod statim arripuit optimam novandi aliquid occasionem adeptus esse sibi visus et prologum, quem nunc habemus, Herculis composuit. Hoc argumentum eo aptius, quo fabula incoharetur, videbatur esse, quod „constans fuit Senecae mos, ut, quid rei

ageretur, magis minusve disertis verbis ineunte fabula nobis exponeret." (Habrucker, quaestionum Annaeanarum capita IV. Regimonti Pruss. 1873, p. 31—33). Idem hoc prologo fit. Facinoribus enim quamvis gloriosius enarratis, caelo iterum ac saepius (v. 8. 10. 12. 29. 98) tamquam iusto praemio petito, cuius iam multi ac minus digni participes facti sint, quid aliud efficitur, nisi ut exspectemus fore, ut debitus honos viro forti reddatur? Quod autem minus arte haec scena cum reliqua tragoedia cohaeret, non erat, quo Seneca offenderetur. Nam si ceteras tragoedias perlustraveris, in plerisque tamquam per se stare prologos videbis. Etenim et in Hercule furente Juno et in Agamemnone et in Thyeste umbrae in scenam prodeunt, quae clarescente die dilapsae nihil faciunt pro rerum progressu, sed id tantum agunt, ut non sine deorum numine ad tanta facinora homines animum potuisse inducere videantur. In Medea paene carere possumus prologo, quoniam ea, quae 55 primis versibus Medea furens promit, fere eadem postea (inde a v. 113) cum nutrice colloquitur. Quid porro Phaedrae prologus? Quid enim ad rem, quod octoginta versibus tota Attica venantibus dividitur aut omnino quod venationi Hippolytus se accingit?

Sed alia movit animum Senecae difficultas hinc coorta, quod post hunc prologum scena erat mutanda. Hoc et perraro fieri in Graecis tragoediis sciebat et ipse videtur improbavisse. Nam dubito an hoc fuerit, cur Phoenissas, quam unam, sed imperfectam esse fabulam post alios nuperrime docuit R. Werner (de L. Annaei Senecae Hercule Troadibus Phoenissis quaestiones. Lipsiae. 1888. p. 32 sq.), eadem difficultate mutatae scenae laborantem fastidiens auctor seponeret. Atque iterum cogitanti placuit illi Iolen cum comitibus introducere calamitates deflentes. Quae res ipsa quoque novitatis, cuius noster erat avidissimus, speciem prae se ferebat. Nam Sophocles Iolen et in itinere et coram Deianira tacere iussit (Trach. 322—7. 307 sq. 320 sq.) magnitudine rerum adversarum oppressam. A quo gravissimo suo cum damno Seneca declinavit sui ingenii impetum secutus, quo ad declamationes propensior erat: poetam expulit rhetor. (cf. infra p. 16). Quamquam hanc habet Seneca excusationem, quod sola cum sodalibus animi dolores Iole effundit. — Difficultatem autem, quam Herculis prologum habere diximus, hic evitavit. Neque enim D. Heinsio (p. 335 ed. Scriver.) aut Habruckero (l. l. p. 34) assentiri possumus, qui post carmina Ioles et Oechalidum scenam mutari censuerunt. Post Herculis prologum mutanda est. Nam si

v. 195: resonetque malis aspera Trachin

et v. 224: sed iam dominae tecta petantur

legeris, ita nisi quae Trachine ante regiam stat, loqui non potest. Cui opinioni non obstat, quod v. 135 legitur: ‚ad Trachina vocor‘, quippe quod ex poetarum usu etiam ea de se praedicare possit, quae iam Trachine adest. Quem autem alterum sibi sumpsit locum Heinsius:

v. 123: Stamus nunc patriae moenibus; hic locus et silvis dabitur,

cum corruptus sit, argumento esse non potest. Nec sic emendandum esse hunc locum censeo. Facillima enim emendatione usus si pro ‚et‘ legis ‚sed‘, optimum est, quod in manuscriptis legitur:

v. 123: stamus nec patriis messibus (E; patriae moenibus A) heu locus, sed silvis dabitur.

Ubi „stamus" idem significat atque „vivimus".

cf. Herc. Oet. 353: nempe cum staret parens.

Utrius autem codicis lectionem praeferamus, non interest: nihil certe haec verba faciunt, ut Oechaliae scenam esse putemus. Accedit, quod re ita constituta ea, quae sequuntur, imprimis verba nutricis:

v. 237: namque ut reluxit paelicis captae decus et fulsit Iole —

optime antecedentia carmina excipiunt: quibus verbis tamquam postulari videtur, et paulo ante Iole in scena atque in ea, in qua nunc agitur, apparuerit.

Quid vero? Nonne in Scyllam incidit, qui vult vitare Charybdim? Nonne maior hinc oritur difficultas duplex chorus? Esse hoc aliquid non negamus. Sed fortiter utimur exemplo

Agamemonis, quam qui Senecae eripere conabantur, mihi quidem persuadere non potuerunt: in hac quoque fabula duo chori inveniuntur. Ac mirum quam eadem in utraque tragoedia duplicis chori ratio est. Neque enim Oechalides neque Iliades chorus sunt, qui ab artis dramaticae peritis definitur, sed comites et sodales Ioles et Cassandrae forte plures. Hic quoque speciem antiqui moris dramatici Senecam videmus captare, re vera longe ab illo recessit. Ut enim quattuor canticorum numerus expleretur, novum chorum introducere non dubitavit. Eadem in choro tractando neglegentia perspicua est in Medea, in qua dubito an duplex chorus statuendus sit. Nam priorem illum, qui ineunte fabula (v. 56 sq.) hymenaeum cecinit, vix verisimile est ita esse animo affectum, ut mox nuptiarum et epithalamii oblitus primorum nautarum audaciam carmine improbet. Quin cum Creo scena exierit dicens:

v. 299: sacra me thalami vocant, vocat precari festus hymenaeus dies,

res paene flagitare videtur, ut quae nuptiis interfuturae sunt, mulieres eum sequantur. Sed chorus iste nuptialis omnino nuptiis non interest nec scena egreditur ac, dum sacrum nuptiale conficitur, res a proposito alienissimas tractat. Unde quam non fastidiosus fuerit Seneca in componendis choris, facile intellegitur. Nec crimini hoc esse vertendum videtur. Nam si scenae fabulas scripsisset, summae ex duplici choro orerentur difficultates necesse erat. Cum vero legi sua aut recitari voluisse illum quidem constet, facile hoc sibi potuit indulgere. cf. Birt., mus. Rhen. 34, p. 528/9, cuius ad argumenta novum hoc accedit.

Restat unum, quo res haerere videatur. Solo enim neque prologo neque cantico actus expletur. Sed semper utrumque invenimus coniunctum. Quid vero? Habemus prologum, habemus canticum: nonne possunt coniungi? Sic enim omnis videtur posse profligari difficultas. At non possunt coniungi. Nam primum quidem prologum inter et chorum, ut supra diximus, scena mutatur. Qua re ita omnis inter has scenas coniunctio tollitur, ut in unum actum coire nequaquam possint. Tum neutra scena prima fabulae esse non potest: prologus, quia in alia scena agitur, canticum quia Iole et Oechalides protaticarum personarum vicibus funguntur, quas cum in plerisque fabulis Seneca admisisset, semper primo loco posuit.

Itaque omnium imperfectissimum primum actum esse censemus: bis rem aggressus ad finem perducere Seneca nequivit.

Accedit, quod etiam singulis rebus, hoc ut credamus, monemur. Ac miror Peiperum et Richterum, qui, cum rectissime ceteras fabulas ex ipso poetae chirographo emendationibus pleno prodisse contenderent, Herculem Oetaeum exemerunt. (edit. praef. p. VIII). Quod demonstrare cum longum sit, in praesens differendum est: uno utar exemplo v. 51, ubi

E: pars quota est Perseus mei?

A: pars quota est, quam prosequor?

In tanta lectionum diversitate num alteram ex altera ortam esse putabimus? Minime vero: neque enim errore oriri potuit, cum utraque optimum praebeat sensum neque scribae emendatione, cum non esset, cur emendaretur aut cur sic emendaretur. Sed ita, ni fallor, res se habet: scripsit Seneca primum: „pars quota est Perseus mei?" fortasse postea locum illustraturus pluribus exemplis additis. Cum autem procedente opere eo pervenisset, ubi eos enumerare placuit, qui minoribus virtutibus caelestem sedem meruerunt, Apollinem, Bacchum, Perseum (v. 92 sq.), priora respiciens delevit illa verba, apposuit: „pars quota est, quam prosequor?"

Aliud est, quod oratio bene disposita unius sententiae repetitione laborat. Arrisit enim Senecae nimium quantum exquisitissimus hic color: negare mundum exhaustum Iunoni feras in Herculem mittendas. Itaque bis legitur:

v. 30: si negat mundus feras, animum noverca,*) redde nunc nato patrem vel astra forti

*) Comparanda sunt haec verba cum Ovidianis: Met. IX. 198: defessa iubendo est saeva Iovis coniunx.

et v. 52: iam vacuus aether non potest odio tuae
sufficere nuptae quasque devincam feras
tellus timet concipere nec monstra invenit:
ferae negantur. Hercules monstri loco iam coepit esse.

Sed resipit Senecam, quod sententia per se fortissima etiam exaggeratur: illic enim additum est ipsam novercam imperitando fessam animo et ira defecisse, hic Herculem solum iam esse monstrum in terris multitudine victoriarum.

In Ioles et Oechalidum carminibus non est, in quo haereamus. Quae non primus iudico inter pulcherrima, quae unquam composuit Seneca, referenda esse. cf. W. A. Swoboda, Senecas Tragödien übersetzt und erläutert, III, p. 336.

Iam promisso stetisse mihi videor. Docui enim cum medios actus tum primum et quintum ita esse comparatos, ut prima futurae tragoediae lineamenta habere nos suspicandum sit.

Quae si pleraque recte nos disputavisse concesseris, gravissima quaedam argumenta eis, qui Senecam Herculis Oetaei auctorem esse negaverunt, erepta sunt (cf. Leo, l. l. p. 48). Iam enim neque in duplici choro neque in scena post Herculis prologum mutanda haeseris. Quod autem duplo fere amplior est tragoediae ambitus, cum per se levius est tum in fabula minime perfecta offensioni esse non potest: neque enim dubitandum videtur esse, quin Seneca, si extremum perpoliendi operis laborem adhibuisset, gemellis locis deletis in solitum versuum numerum tragoediam fuerit contracturus. In titulo vero huic cum prima fabula communi quis serio offendet, praesertim cum haud ita constare videatur cognomentum „Oetaeum" ideo, quod tantum in A legatur, spurium esse? Facile enim factum esse potest, ut cum in chirographo a poeta postea appositum esset (cuius rei supra p. 12 exemplum attulimus), in alteram recensionem reciperetur, non reciperetur in alteram. Formae saltem praesidio sunt notissima cognomina: „Uticensis" et „Coloneus" (Cic. de sen. 7, 22) plane eadem de causa indita. Sed aliud est, quod in constituenda fabula auctorem peccavisse ferunt. Heinsius enim (ed. Scriver. Lugd. Bat. 1620. p. 335/6) summam huius tragoediae ἀνοικονομησίαν vituperavit. Sed ipse nobis suppeditavit, quo facile refelli posset. Ipse enim concessit „aliud esse vitium ὕλης, quod sit in subiecto, aliud peccatum poetae, quod in constitutione sit, cum quaedam ne Sophocles quidem potuerit evitare". Herculis prologo, quippe qui in alia scena agatur, omisso res, quae usque ad quintum actum in Hercule Oetaeo geruntur, non longioris temporis sunt quam Sophoclea tragoedia. Quod autem Sophocles non dubitavit admittere, hoc Senecae erit vitio? At in quinto actu Seneca, dum nonaginta chori versus decurrunt (1518—1606), ingentem rogum exstructum et Herculem crematum esse finxit. Hoc quoque, qui Senecam legit, patienter feret. Solet enim Seneca in eis, quae extra scenam geruntur, rebus temporis rationem parum diligenter instituere. Initio Phaedrae fabulae Hippolytus totam Atticam indagine cingi iubet: post trecentos versus re bene ac feliciter gesta — neque enim alia causa legitur — in scenam redit. In Troadibus Polyxenam, quam v. 1009 Pyrrhus e sinu matris abduxit, post 46 chori versus interemptam esse comperimus. In Medea liberis v. 849 cum funesto dono missis post brevissimos 24 versiculos nuntiatur Creontem et eius filiam flammis consumptos nec variis remediis adhibitis ignes potuisse reprimi. In Oedipo haruspicio v. 299 decreto iussoque v. 303 hostiae iam ad aras stant. Ibidem intra 15 versuum spatium (823—38) mittuntur, qui omnes, qui aliquando Laio pastores fuerunt, conquirant, apparet inter eos ex agris arcessitus Phorbas, qui potissimum desideratur. In Thyeste dum 68 versus canuntur (335—403), filii Atrei ad patruum, cuius tum ne scitur quidem refugium, proficiscuntur, hic post longas dubitationes (cf. 412 sq.) tandem precibus liberorum victus in patriam advenit. — Quod igitur in Hercule Oetaeo Heinsio minus placuit, Senecae proprium fuisse videmus.

Porro in mytho tractando Senecae manum agnoscimus. Ut enim semper solebat,*) mate-

*) cf. Jos. Köhler, L. Annaei Senecae trag., quae Oedipus inscribitur, cum Soph. Oed. Rege comparata. Progr. gymn. Neuss. 1865. p. 4.

riam fabulae etiam in Hercule Oetaeo Seneca totam a Sophocle repetivit adeo, ut etiam id, quod ille in mytho mutaverat, reciperet. Nam in vulgari fabulae forma Hercules Acheloo victo Deianiraque ducta plures annos in Aetolia versatur, apud Sophoclem et Senecam statim Pleurone proficiscitur (Trach. 562. Herc. Oet. 495). Quod vero apud illum Tiryntha, apud hunc Argos se confert, levius est nec quidquam facit pro reliquo rerum progressu. Nec mirum est — ut hoc in transitu moneamus — quod totus in mytho ex Sophocle Seneca pendeat. Nam et res notiores erant, quam ut mutatae lectores fugerent neque offenderent, et ingenium Senecae fere totum in rhetorico verborum ornatu positum vix fuit aptum, quo novae res aut fabulae componerentur. In una tamen re Seneca a Graeco suo exemplari deflexit. Sophocles enim Nessum medio in flumine sagitta Herculis transfixum esse narrat (Trach. 564 sq.). Idem apud Senecam tum demum fit, cum „iam totus undis Nessus exierat ferox“ (Herc. Oet. 507 sq.). Scimus autem veteres criticos Sophoclem reprehendisse, quod in undis moriens Nessus Deianiram una secum traxisset (Dion. Chrysost. 60, 1). Quod iudicium utrum noverit Seneca an ipsius animum res offenderit, disceptari non potest, sed utrumque certe dignum est Senecae aut doctrina aut ingenio.*) Quod vero in hac disputatione gravius est, simili modo in Medea Aegeum in Euripidis tragoedia repertum Seneca omisit, quem sero in scenam intromissum Aristoteles vituperavit (poet. 16, 31).**)

In mytho Seneca cum fere nihil mutare ausus esset, liberrime solebat agere cum traditis personarum moribus. Quos saepe ita ex suo ingenio invertit, ut haud facile possint agnosci (cf. e. g. Jos. Koehler, Progr. Neuss. 1865. p. 8 sq.). Constans autem mutandi consilium hoc videtur fuisse, ut mitiores affectus in fortiores augerentur, ac rectissime idem ille Koehler (l. l. p. 11): „nulla miseratio, nullus mollior sensus, omnia sunt plena terroris, irae, furoris“.***) Idem in Deianira factum esse videmus. Quam cum Sophocles mitissimam et humanissimam finxisset, amoris in maritum plenam, cura absentis anxiam, veniae dandae promptam, in misericordiam erga captas pronam, Seneca finxit acerbissimis amoris stimulis agitatam, iracundia et superbia furibundam, odio paelicis impotentem. Tamquam media inter Sophocleam et Annaeanam Ovidiana Deianira est, qualis in nona heroide delineatur. Haec enim magis quam Sophoclea dolori cedit et aegritudini, quod male gloriae suae amore captae victus consulat, Herculem obiurgat (Her. IX, 1—26), miserrimam suam esse sortem queritur ob mariti et absentiam periculaque (27—46) et infidelitatem amoresque (47—142), nec tamen ita furit ac saevit ut Annaeana. Nam ista

(Herc. Oet. 241/2) „feta ut Armenia iacens sub rupe tigris“

in scenam irrumpit, caelum et terras ad iram et ultionem evocat, foedissimis in Herculem conviciis invehitur, Jolen exsecratur, interficiendi coniugis consilium non dubitat capere. Atque etiam in minoribus rebus videre licet, quanto melius uxoris et mulieris personam tueatur Sophoclea Deianira quam Annaeana. Superbe enim haec gloriatur, quod bella pro se gesserit Hercules (v. 299 sq.), illa servatam se et ab hoste liberatam grato animo meminit (Trach. 15—21; cuius certaminis Veneri omnis a choro vindicatur gloria, 498—531). Haec pugnam illam, quam cum Acheloo Hercules commisit, siccis totam oculis vidit (Herc. Oet. l. l.), illa in ipso discrimine animo relicta, quae ab aliis comperit, refert (Trach. 21—25). Illa, ubi amatorio uti visum est, pudore et religione (Trach. 596/7), haec timore, ne pateant doli, commota (Herc. Oet. 476. 568) fidem et taciturnitatem petit. Denique illa inter ea, quae Lichae ad Herculem profecturo mandat, etiam amorem suum et desiderium modeste significat (Trach. 626—32): quod quamquam optime amantem coniugem decet, apud Senecam frustra requiras.

*) Ovidius Senecae mutandae rei auctor fuisse non putandus est. Nam quo loco Nessi mortem narrat (Met. 9, 104—33), de hac re nihil apertis verbis dicit.

**) cf. Guil. Braun, mus. Rhen. 32, p. 75/6.

***) Nachträge zu Sulzers allgemeiner Theorie der schönen Künste. 4. Bd. 1. Stück. S. 399.

Hoc vero Senecae Deianira habet commune cum Sophoclea: amat ipsa quoque Herculem ac toto animo et mente amat, quamquam saepissime praevalet dolor reiecti amoris. Lege haec:

449: Nutr.: Amorne clari fugit Alcidae tibi?
Dei. Non fugit, altrix, remanet et penitus sedet
fixus medullis, crede: sed magnus dolor
iratus amor est.

Ac cum de fatali pallae illius effectu constiterit, utraque forti animo funesti erroris poenas morte solvere constituit. Itaque Leoni non assentimur, qui (ed. Senec. trag. I, p. 72.), versibus 571 sq. nixus: „haec Deianira, inquit, mendax est et dolosa, non ut apud Sophoclem candida, Nessi fraude decepta, dulcem spem fovens in anxiis rerum angustiis: probe ista scit, quid coniugi mittat; quo scriptor sibi constitit et necis consilium firmum tenere illam voluit nec quod nutrice absente Amori preces fundit, id ex animi sententia facere illam credas: adstant enim mulieres, quas sibi ex patria comites duxerat" (581). Qua in re a vero aberrasse virum doctum vidit iam Birtius (mus. Rhen. 34, p. 511 sq.). Nam primum quidem in versibus, quos laudavit Leo,

571: cape hos amictus, nostra quos nevit manus,
dum vagus in orbe fertur et victus mero
tenet feroci Lydiam gremio nurum,
dum poscit Jolen,

quid inest, quod fraudem resipiat et dolum et necis consilium? Nihil equidem video; sed verba sunt coniugis offensae et aegre ferentis, quod pro fide et memoria sincere servata tanta infidelitas reddatur. Ceterum eosdem fere sensus spirant, quos Sophoclei versus 538: *παρεισδέδεγμαι — λωβητὸν ἐμπόλημα τῆς ἐμῆς φρενὸς* et 540: *τοιάδ' Ἡρακλῆς — οἰκούρι' ἀντέπεμψε τοῦ μακροῦ χρόνου*. Nec constare sibi puto auctorem, si scit Deianira se missa palla Herculem interfecturam esse. Quod si scit, qui erit rerum progressus aut cur, id quod postulat et mythus et tragoedia, mortem sibi inferet Deianira? Nec quae antecedunt, Leonis opinionem comprobant. Nam inde a v. 452 nutrix et Deianira aperte cogitant, quomodo amissus Herculis amor possit reconciliari:

452: Artibus magicis fere
coniugia nuptae precibus admixtis ligant.
464: flectemus illum, carmina invenient iter.
472: Nutrit. Vicit et superos Amor.
Dei. Vincetur uni forsan et spolium dabit
Amorque summus fiet Alcidae labor.

Ac Nessus ipse, cum tabum Deianirae traderet, haec verba addiderat:

523: hoc, inquit, magae
dixere amorem posse defigi malo.

De philtro ergo agitur et plane a consilio modo proposito aberraret Deianira, si necare Herculem ei in animo esset. At cepit consilium interficiendi mariti (436 sq. cf. 315 sq.). Cepit nimirum animi intemperantia abrepta et postquam primus irae et indignationis impetus defervuit et novam spem recuperandi mariti nutrix ostendit, mitius miserae sorti remedium quaerit. Infirmissimum vero est, quod ultimo loco Leo proposuit. Neque enim antea, cum aperte de nece mariti cogitaret, chorum Deianira verita est: nunc igitur cur vereatur?

Ut Deianira, ita nutricis indolem Seneca plane mutavit. Neque est, unde magis „prolapsi in vitia saeculi pravam consuetudinem" possis sentire. Multo enim graviores apud Senecam nutrix sustentat partes quam apud Sophoclem. Sophoclea enim modestissima nisi excusata (Trach. 52,3. 59) consilium erae dare non audet. Annaeana liberrime et de domina iudicat (Herc. Oet. 233—55) et eam coram vituperat (275 sq. 314. 439) et Herculis amores parum verecunde perstringit

353—57. 363—77).*) Eadem apud Senecam chorum ex parte expulit. Quaecunque enim apud Sophoclem cum choro agit Deianira, ea in Seneca agit cum nutrice. Cum hac igitur colloquitur sola, cum hac de arcano illo amatorio communicat, ab hac fidem et taciturnitatem petit: chorum omnino non respicit neque alloquitur, nisi quod discedens canere eum iubet (581 sq.). Praeparandae funestae illius pallae curam apud Sophoclem Deianira ipsa suscipit, cum neminem adhuc huius arcani conscium a Nesso acceptum fecerit, atque ita est gnara omnium regiae et locorum et secretorum, ut, quod in remoto regiae sedis loco (v. 485) latere dixit Deianira, venenum brevissimis verbis iussa odoretur et indaget: tum in scena illinit vestem ac, ne ipsa deesse videatur, preces addit (v. 565/6). Qua in describenda quamquam non nihil imago nutricum, quales finxit Euripides, valuisse videtur, tamen facile agnoscimus notissimos illos libertos, penes quos Senecae temporibus summa rei publicae erat.**)

Hylli mores primo quidem obtutu prorsus inversi esse videntur. Accusat enim matrem apud Sophoclem, apud Senecam defendit. Sed si accuratius rem inspexeris, Hylli indolem Seneca non mutavit, verum comperisse eum finxit, antequam in scenam procederet, non scelere matris, sed fraude Nessi iacere patrem.***)

Lege v. 885: haut est nocens, quicunque non sponte est nocens.
erroris est hic omne, quodcunque est nefas.
900: Multis remissa est vita, quorum error nocens, non dextra fuerat.

Obstant huic opinioni ultima Hylli verba:
v. 1027: si mori matrem vetas, patri es scelestus.
De quibus cf. supra p. 7.

Apud Sophoclem Hyllus matrem a Nesso deceptam esse post Deianirae mortem comperit. Ac melius videtur esse secretum dominae a choro tum demum enuntiari. Potuit tamen facile fieri, ut multo ante Hyllus veram rem cognosceret. Quod cur ita finxerit Herculis Oetaei auctor, suspicari possumus. Est enim haec quoque scena luculentissimo exemplo, quo deferatur poeta, si nimis audiat rhetorem. Rhetorem enim fugit, quanto plus saepe efficiatur silendo quam loquendo ac quanto fortius moveat animos muta ad mortem proficiscens Sophoclea Deianira quam eloquens Annaeana. Placuit igitur scenam componere, in qua gratissimis sibi artificiis uti posset: mortis enim omnia genera enumerantur (cf. Phoen. 147 sq. Oed. 1031 sq.); altercando locus datur matre et filio pro necis voluntate et contra eam disputantibus (in nulla harum tragoediarum deest altercatio; si autem argumentum respicis et agentes personas, simillima huic ea est, quam Hercules habet cum Amphitruone, Herc. fur. 1202 sq.); inferorum et furiarum simulacra emittuntur (cf. Oed. 548 sq. Ag. 759 sq. Thy. 1 sq.). Quae scena ut fieri posset, illud, quod supra diximus, ponendum

*) In enumerandis prioribus Herculis amoribus Seneca ante oculos habuit Ovidium (her. IX, 47—118). Ab utroque enim poeta commemorantur Auge (her. 9, 49. Herc. Oet. 366—9) et Thespiades (her. 9, 50. Herc. Oet. 369/70) et pluribus verbis Omphale (her. 9, 53—118. Herc. Oet. 371—77). Quae res fugit Rich. Grimm. (l. l. p. 19—20).

**) Quoniam de temporibus incidit mentio, unum liceat addere. Legenti enim:
v. 1000: „patet ecce plenum pectus aerumnis: feri“, quocum conferas v. 992/3: „sive maternum libet invadere uterum“, facile in mentem venerit loci Taciteі (ann. 14, 8 extr.): iam in mortem centurioni ferrum destringenti (Agrippina) protendens uterum ‚ventrem feri‘ exclamavit. Arridet enim similitudo locorum et in acta re et in agentibus personis (nam centurio ille missus erat a Nerone filio) et in verbis ipsis conspicua. Hoc si probatur, facile est suspicari illa scribentem respexisse Senecam verba morientis Agrippinae rumore tum circumlata. Unde efficiatur, ut Herculem Oetaeum post annum 59 scriptam esse putemus. Memorabile videtur, quam caute rem Seneca texerit, ut coargui non posset, intellegeretur a consciis.

***) Perperam Ricardus Grimm (l. l. p. 33): Voreilig beginnt Hyllus in der römischen, wie in der griechischen Tragödie mit einer Verwünschung der Mutter (Herc. Oet. 743 ffg. u. Trach. 734 ffg.). Ut fugiat, suadet, non exsecratur matrem Hyllus.

erat. Quo posito mores Hylli non erant mutandi, sed eadem servatur filii in matrem pietas caritasque, qua Hyllus apud Sophoclem est et ante Herculis cladem (Trach. 64—91) et postea innocentia matris perspecta (Trach. 932—42).

Eandem componendi rationem voluntatemque in Joles indole, qualem delineavit Seneca, perspici supra diximus (p. 11). Cum igitur in eo, quod loqui eam iussit et lamentari, a Sophocle recessisset, eundem secutus est in eo, quod habitu et cultu humilem et submissam fecit (Herc. Oct. 360), sprevit Ovidium, qui elatam et Herculis amore superbam finxit (her. IX, 123 sq.). Unde locus datus est egregiis his versibus:

358: Fortuna amorem peior inflammat magis:
amat vel ipsum, quod caret patrio lare,
quod nudus auro crinis et gemma iacet,
ipsas misericors forsan aerumnas amat;
hoc usitatum est Herculi: captas amat.

Qui versus et rhetori sufficiunt et humanae naturae notitiam in Seneca saepe laudandam produnt.

Ad Herculis mores describendos aliquid contulit rhetor, aliquid philosophus Seneca. Hoc facillime apparebit, si Annaeanum Herculem cum Sophocleo comparaveris. Sophocles enim aegrum tantum et morbo fractum Herculem induxit, Seneca vigentem corpore et viribus gloriosum fecit et nimia sui aestimatione tumidum. Quoties enim quantis in prologo se effert laudibus: pacem mundi deos sibi debere (quamvis iure) gloriatur (1 sq.); res a se gestas iterum atque iterum enumerat (13 sq. 38 sq.); ipsum se caelum, si negetur, expugnaturum esse pollicetur (32 sq. 76 sq.); maiora et difficiliora minatur quam quae adhuc fecerit, haec si non sufficere videantur (34 sq. 79 sq.); difficilia sibi fuisse iussa negat (59), quin plura se tulisse non iussa (61 sq.); ac ne dis quidem minorem se gerit et cum Apolline, Baccho, Perseo se aequat (92 sq.). Numquid igitur miramur, quod identidem caelum ut praemium olim sibi debitum petit ac tamdiu sibi negari indignatur (8/9. 13. 31/2. 98)?

In aegroti Herculis indole fingenda Seneca Sophoclis exemplo abunde usus est. Apud utrumque enim poetam vir fortis, cum ingens corpus morbo consumi sentiat, animo fracto lamentatur (Trach. 993 sq. Herc. Oet. 1131 sq.) nec lacrimis parcit quamvis pudeat (Trach. 1071 sq. Herc. Oet. 1265 sq.); de Jove patre dubitat (Trach. 1106. Herc. 1246 sq., ubi simul de caelo desperat); ad inferos se mitti suspicatur (Trach. 1085. 1040 sq. Herc. Oet. 1145) a dis et hominibus auxilium petit (Trach. 1085 sq. 1010 sq. Herc. Oet. 1290 sq.). Nec tamen in tanta corporis et animi infirmitate cupiditatem perfidam coniugem ulciscendi remittit (Trach. 1035 sq. 1064 sq. 1107 sq. 1133. Herc. Oet. 1449 sq. 1459 sq.). Maximum dolorem inde capit, quod feminae mortem debeat (Trach. 1048 sq. Herc. Oet. 1177 sq.). Facinorum recordatur quidem, sed ita recordatur, ut haec perficere se potuisse vix confidat (Trach. 1089 sq. Herc. Oet. 1235 sq.). Magna igitur pars earum rerum, quas Hercules aegrotans profert, Senecae cum Sophocle communis est. Omnia nimirum in hoc breviora et modestiora sunt, cum hic quoque Seneca, ut erat rhetor, res auxerit et amplificarit. Memorabile autem videtur esse, quod optime sibi constitit Seneca in describendis Herculis moribus. Qui cum in prologo multorum fortiter factorum recordatione superbum se praebuerit, ne nunc quidem, cum fractus morbo humi iacet, magnos spiritus remittit. Se enim mortuo ne Jovis regnum deleatur, timet ac potius totius se mundi ruina condendum esse censet (Herc. Oet. 1131 sq.). Facere non potest, quin iterum iactet facinora (v. 1192 sq.). Quamvis morbo impar praesenti summa mala forti animo se perlaturum esse promittit (1377 sq.). Nec levissimum est, quod heros ille, qui centum versus cum Jove collocutus caelum sibi addixerat, fere modo deos appellat, ad homines vix descendit. Quod ubi fit, terram affatur et orbem et urbes (v. 1325. 1332. 1335 etc.)*)

*) cf. R. Grimm. l. l. p. 46. Idem p. 11 sq. collegit, quae hac ex parte Ovidio Seneca debeat.

Ubi autem supremum diem sibi illuxisse cognovit Hercules, apud Sophoclem, ut fert humana natura, pauca queritur (Trach. 1143/4). Tum tranquillo animo, qui tamen facile recusante filio movetur, supremas voluntates aperit. Ubi vero ad rogum proficiscendum est, se ipse ad virtutem cohortatur, amicis valedicit, duram suam sortem ac se indignam deplorat (Trach. 1259—69). Apud Senecam autem tantam subito Stoici animi tranquillitatem et tantum sui imperium induit, ut lente moriendum sibi esse statuat, nullam querellam sibi excidere patiatur, non se, sed matrem cohortetur et confirmet (Herc. Oet. 1472 sq.). Atque ubi discedendum est, heros ille, qui vulgares hominum coetus spernere solet, Solem iubet valere, non adstantes amicos (v. 1517). Etiam fiduciam sui omnem et bene actae vitae memoriam recuperat (1499 sq.) ita, ut in rogo positus denuo caelum sibi deberi censeat (v. 1695 sq.), quod si negetur, expugnaturum se esse minatur. Immane vero Stoicae virtutis et humanis viribus maius moriens prodit exemplum. Nam et Philoctetam facem rogo subdere dubitantem vehementur increpat (v. 1719 sq.) et fugientes flammas sequitur (1728 sq.) et ipse auget et, ut aeque omnia membra corripiantur, dividit (1748 sq.) et singula fere membra comburit (1742. 1752 sq.) et mediis in ignibus neque ipse gemitum ullum edit (1731) et matrem plangi vetat et omnibus fortem animum addit (v. 1673 sq. 1738 sq.).*)

Haec profecto nobis quidem foeda ac vix ferenda videntur. Notum est autem, a talibus rebus quam non abhorruerit Seneca, qui Medeam liberos in scena trucidantem, Thesea disiecta filii membra legentem, Atreum fratris filios mactantem et coquentem fingere non dubitaret. Quae si comparaveris, illa mediocria ac tolerabilia videbuntur. Virtus enim hic quamvis supra humanum modum aucta spectatur.**)

Satis dictum est de personis. Rhetor etiam in eo conspicitur, quod declamari in scena et narrari malebat Seneca quam agi. Legendas nimirum vel recitandas scripsit fabulas, non in scena agendas. Unde factum est, ut eas scenas exemplarium suorum, in quibus agitur aliquid, deleret aut, quae illic aguntur, narrari iuberet. cf. Jos. Koehler, l. l. p. 7. Braun., mus. Rhen. 22, p. 245. Ita etiam in Hercule Oetaeo primos Trachiniarum versus quingentos Seneca in suum usum non vertit, quippe qui vegetae actionis pleni sint. Quamquam non nihil valuisse videtur in hac re mutata Deianirae indoles. Quae enim in priore Sophocleae fabulae parte aguntur, ut mitis sit Deianira et placida et clemens, postulant.

Porro notum est omni opera id contendisse Senecam, ut, cum Graecos imitaretur, novus ac suus esse videretur.***) Itaque quae in exemplari suo paucis verbis significata reppererat, saepe in totam scenam solebat amplificare. Cuius rei Guilelmus Braun (mus. Rhen. 20, 1865. p. 277/8 et 32, p. 71. 74. 81) luculentissima exempla collegit. Ex nostra fabula idem hoc commemoravit, quod Lichas, qui Trach. v. 229 prodit ab Hercule missus, Herc. Oet. 99 Trachina proficisci iubetur. Simili modo Trachiniarum versus 237/8:

ἀκτή τις ἔστ' Εὐβοιίς, ἔνθ' ὁρίζεται
βωμοὺς τέλη τ' ἔγκαρπα Κηναίῳ Διί

fortasse fuerunt, unde totam primam scenam Seneca sumeret, ubi Herculem sacrificaturum fecit. Huc etiam pertinet, quod Alcmenen, quam Sophocles absentem finxerat, in scenam misit, cui quintum actum fere totum et quarti actus magnam partem debemus. Idem amplificandi studium invenies, si, quae singula alter ex altero poeta hauserit, quaesiveris. Cuius generis plura Ricardus Grimm congessit, omisit quaedam, quae nunc addam.

*) Dignissima, quae memorentur, haec verba sunt: v. 1743: gerit aliquid ardens. Haec enim summa Senecae videbatur Stoici gloria, si ne moriens quidem nihil ageret. cf. de otio I, 4: nos sumus, apud quos usque eo nihil ante mortem otiosum est, ut, si res patitur, non sit ipsa mors otiosa.

**) Haec dicta sint contra Swobodam, qui multa in Herculis verbis vituperavit (l. l. praecip. p. 345 et 348).

***) cf. e. g. Habrucker, l. l. p. 38: Senecam numquam servili modo Graecos tragicos imitatum esse, sed hoc vel illud vel invenisse vel novasse.

Trach 284: ἐξ ὀλβίων ἄζηλον εὑροῦσαι βίον.
Herc. Oet. 133: felix incolui non steriles focos
nec ieiuna soli iugera Thessali.
ad Trachina vocor, saxa rigentia
et dumeta iugis horrida torridis e. q. s. —
Trach. 752: ἀκτή τις ἀμφίκλυστος Εὐβοίας.
Herc. Oet. 775: Euboica tellus vertice immenso tumens
pulsatur omni latere: Phrixeum mare
scindit Caphereus, servit hoc Austro latus;
at qua nivosi patitur Aquilonis minas,
Euripus undas flectit instabilis vagas
septemque cursus volvit et totidem refert. —

Quae matri Hyllus imprecatur
Trach. 808: ὧν σε ποίνιμος Δίκη τίσαιτ' Ἐρινύς τε,
fortasse moverunt Senecam, ut totum locum componeret, quo Deianira furias praesentes videre sibi videtur (Herc. Oet. 1002 sq.). —

Trach. 1112: ὦ τλῆμον Ἑλλάς, πένθος οἷον εἰσορῶ
ἕξουσαν, ἀνδρὸς τοῦδέ γ' εἰ σφαλήσεται
suo Seneca choro tribuit uberius tractanda: qui vindice amisso mundum futuris monstris obiectum questus (Herc. Oet. 1518—45) pergit:
1545: planctus immensas resonet per urbes
et comas nullo cohibente nodo
feminae exsertos feriant lacertos.

Atque in eadem sententia Alcmenae lamentationes versantur Herc. Oet. 1863—1910. A Graecia nimirum Seneca ad terrarum orbem, aequora, superos progeditur. —

Trach. 1195: πολλὴν μὲν ὕλην τῆς βαθυρρίζου δρυὸς
κείραντα, πολλὸν δ' ἄρσεν' ἐκτεμόνθ' ὁμοῦ ἄγριον ἔλαιον.
Haec brevius leguntur
Herc. Oet. 1483: caedatur omnis silva et Oetaeum nemus corripite,
pluribus verbis enarrantur Herc. Oet. 1618—41. —
Trach. 1199: γόου δὲ μηδὲν εἰσίτω δάκρυ.
Herc. Oet. 1497: tuque ipsa planctus pone funereos, precor, o clara genetrix. cf. 1507.
1673: deforme letum, mater, Herculeum facis,
compesce lacrimas, inquit, introrsus dolor femineus abeat e. q. s.

Atque effecit vir fortis laeto et securo vultu, ut flere puderet eos, qui funeri intererant. Herc. Oet. 1686 sq. Ob quod laudantur ab illo v. 1738 sq.

Nec tantum augendo et amplificando Seneca novitatis speciem quaesivit, sed contraxit etiam et coëgit, quae latius et diffusius in exemplari suo tractata invenit. Hoc idem Braunius (mus. Rhen. 20, 278—9; 32, 75—6) exemplis illustravit, quibus ex Hercule Oetaeo sumptum hoc potest addi. Nesso nominato apud Sophoclem Hercules instare sibi supremum vitae diem cognoscit ex duobus oraculis olim acceptis (Trach. 1159—73). Duo haec oracula miscuit Seneca et ita contraxit, ut idem bis editum esse videatur (Herc. Oet. 1472—80): a mortuo Herculem interfectum iri. Hoc vero elegit, ut magnificum illud addi posset:
v. 1480: ne quis superstes Herculis victor foret.

Praeterea altero oraculo (illo ipso die finem fore Herculi laborum), quo ad initium fabulae Sophocles respicit (Trach. 79 sq.), Seneca, cum hanc partem tragoediae omisisset, minus uti potuit. Simul cum contraxisset rem, non potuit non complere. Cum enim Sophocles non diserte dixisset, ubi alterum oraculum datum esset (ἐμοὶ γὰρ ἦν πρόφαντον ἐκ πατρὸς πάλαι 1159), Seneca Delphos finxit oraculi locum alterius, alterius Dodonam ex Sophocle recepit. Accedit,

quod servitii Herculis et aerumnarum mentionem in altero oraculo Sophocleo factam (Trach. 1169 sq.) tota fabula Seneca diligentissime vitat: quos tulit Hercules labores, apud hunc facillime tulit ac paene ultro. Itaque ne in hac quidem re cum Leone consentire possumus. Neque enim, ut contendit ille (l. l. p. 55), claude et oblique poeta Romanus haec duo oracula inter se coniunxit, sed cum utriusque oraculi retineret nomen, argumentum alterius suae fabulae suoque ingenio aptioris scite sibi elegit. Quod autem verba Senecae ex Sophoclis gemino carmine in unum conflata esse Leo dicit, ne hoc quidem concedi potest. Cum enim recte comparavisset

Herc. Oet. 1476: dextra perempti victor, Alcide, viri olim iacebis
et Trach. 1160: *ἀνδρῶν πνεόντων μηδενὸς θανεῖν ὕπο*, perperam Leo comparavit:
Herc. Oet. 1477: hic tibi emenso freta terrasque et urbes finis extremus datur
et Trach. 1169: *ἅ μοι χρόνῳ τῷ ζῶντι καὶ παρόντι νῦν*
ἔφασκε μόχθων τῶν ἐφεστώτων ἐμοὶ
λύσιν τελεῖσθαι.

Nam apud Senecam post v. 1476 verba, quae sunt „finis extremus“, de morte intellegenda esse apertissimum est, apud Sophoclem tota vis loci in eo est, quod, quae sit illa *μόχθων τῶν ἐφεστώτων λύσις*, in dubio relinquitur.

Alia est lex, quam numquam migrasse Senecam docuit Henricus Weil (l. l. p. 23), ne plus tres personae simul loquerentur. Quam quanta severitate tenuerit, in Hercule Oetaeo quoque conspicitur. Extrema enim fabula Hercules apud Sophoclem ab Hyllo filio poscit, ut rogum sibi exstruat incendatque viventi. Quod non statim impetrat, nam religione motus Hyllus primo recusat. Tum acerbissimis minis victus incensurum se rogum constanter negat, in ceteris rebus patri quamvis invitus cedit (Trach. 1174 sq.). Apud Senecam Hercules exstruendi et incendendi rogi curam Philoctetae defert, quem facem subdidisse mythus tradidit (Herc. Oet. 1483 sq.). Hic igitur Seneca et complevit Sophoclem, apud quem, quem filio officium detrectante rogo ignem subditurum esse Hercules speraverit, non apertum est, et scenam apud Sophoclem ampliorem in angustius spatium contraxit. Quod hic factum esse miramur: graviter enim offendimur in Philocteta, qui, quamvis gravissimas recusandi causas habeat, nullum faciat verbum. At si loqueretur, sanctissima illa, quam diximus, lex violaretur. Locuti enim sunt Hercules, Alcmena, Hyllus: ergo Philoctetae tacendum est.

Restat, ut de chori, qui sit in Hercule Oetaeo, usu pauca dicamus. Iniuria enim Swoboda (L. A. Senecas Tragödien, übersetzt und erläutert v. W. A. S. Wien 1830. III, S. 344) chorum Herculis Oetaei, qui ante Herculis adventum legitur (v. 1031—1130),*) cum reliqua tragoedia cohaerere negavit. Qui chorus in simili fere argumento versatur atque quartum Sophoclis stasimum eodem loco positum: certam esse Herculis mortem. Hoc iam nescio an satis sit ad defendendam Herculem Oetaeum. Hoc tamen inter utrumque chorum interest, quod constare de Herculis morte apud Sophoclem antiquorum oraculorum fide, apud Senecam omnium rerum fragilitate probatur. Atque a clarissimo Orphei dicto: aeternum fieri nihil (v. 1035) profectus Seneca more suo in discribenda incredibili Orphei cantus vi diutius moratur. Orphei enim mythus inter eos est, quos adamasse ille videtur, cum bis praeterea eum tractaverit (Herc. fur. 569 sq. Med. 625 sq.). Post hanc digressionem redit carmen eo, unde exorsum erat (inde a v. 1092): „quod natum est, quod erit, mori“ (v. 1099) et exempla, quibus verum hoc esse persuadeatur, adduntur Hercules, mundus, dei ipsi**) morti obnoxii. Quamquam igitur maior pars chori in digressione consumitur, tamen ad res in scena actas aptissime convenit.

*) Laudavit hunc chorum L. Müller, Jahn. ann. 89, p. 418.

**) Memorabile videtur, quod deos quoques olim chao haustum iri dixit Seneca etiam Thy. 831 sq. et Agam. 486 sq.

Nam et antea multa de exspectanda Herculis morte disputantur (imprimis 910 sq.) et post chorum in scenam prodit Hercules moribundus.

In cantico, quod post v. 582 insertum est, hoc dignum esse memoratu videtur: in altera parte (v. 583—639) chorus fidem Deianirae pollicetur in dubiis rebus, quam raram esse docet, cum „pauci reges, non regna colant" (v. 616). Quae verba ex eodem fere animi affectu oriuntur, quem in parodo Sophoclis Trachiniae prae se ferunt Deianiram consolantes (Trach. 94—140). In altera autem parte chori (Herc. Oet. 640—699) ad id argumentum Seneca revolvitur, quo mirum quantum delectari videtur: opes et dignitatem sollicitudines secum ferre et pericula; bene vivere, qui bene lateat. Idem tractat et retractat Thy. 446 sq., Phaedr. 483 sq. et 1123 sq., Agam. 57 sq.*) Singula si spectantur, haec fere comparari possunt: inconstantem fluxamque esse fortunam Herc. Oet. 640 sq., Troad. 1, Med. 221 sq. 287; rusticam vitam praeferendam esse Herc. Oet. 644 sq. Phaedr. 482 sq.; Phaetontem superbis exemplo esse posse Herc. Oet. 675 sq. Med. 599 sq.; humilem vitam tutissimam esse Herc. Oet. 694 sq. Agam. 103 sq. (utroque loco eadem imago legitur navis tuta litora stringentis).

De Joles cantico supra dictum est. Nunc addendum est etiam in hoc carmine inveniri, quae numquam desierit Seneca omnibus locis infulcire: omnibus et rebus et hominibus maiorem esse, mori qui sciat Herc. Oet. 104 sq., Thy. 360 sq., Agam. 605 sq., Herc. fur. 426, Troad. 574; magna commoda magnis cladibus patere Herc. Oet. 170/1, Herc. fur. 325, Phaedr. 1123 sq., Oed. 8 sq.; leviora fieri, quae aequo animo tuleris Herc. Oet. 225 sq. Med. 559.**)

Chorus Herculis discessum sequens (Herc. Oet. 1518) in argumento versatur huic tragoediae loco ita proprio, ut loci cum ceteris fabulis communes vix potuerint inseri. Nec tamen oblata occasione Seneca facere potuit, quin moneret reges ac superbos Herc. Oet. 1560 sq. cf. Thy. 607 sq. Herc. fur. 737 sq.

Quoniam igitur de eis rebus diximus, quae ad universam tragoediam atque artem dramaticam spectant, sequitur, ut, quae singula viris doctis in Hercule Oetaeo minus placuerint, videamus. Ex quibus multa iam in transitu tetigimus, plura restant.

Collegerunt enim ex Hercule Oetaeo locos, qui, cum ex ceteris Senecae fabulis exscripti esse videantur, imitatoris manum prodant (Gustavus Richter, de Seneca tragoediarum auctore. Bonnae. p. 30/1. Leo, l. l. p. 49—53). Ac Richter quidem iniquissime cum Herculis Oetaei auctore egit. Omnibus enim, quos proposuit, locis, si excipis Phaedr. 601 cum Herc. Oet. 485 comparatum, verborum omnino nulla est nisi forte duorum similitudo. Qua re quantopere Richteri argumentum infirmaretur, vidit Leo, qui plura illius exempla neglegeret, nova sibi colligenda esse putaret. Sed ne ipse quidem abstinuit, quin duobus verbis totorum locorum similitudinem effici putaret. Hinc est, quod Herc. Oet. 863 cum Phaedr. 1104, Herc. 1065—7 cum Oed. 410. Herc. fur. 611. Troad. 391, Herc. Oet. 1135 sq. cum Thy. 1011, Herc. Oet. 1237 cum Herc. fur. 244, Herc. Oet. 1305 cum Oed. 1059, Herc. Oet. 1308 sq. cum Herc. fur. 78 sq., Herc. Oet. 1679 sq. cum Herc. fur. 611 sq. et Troad. 188 composuit.***) Horum versuum similitudine de imitatione nihil probari in promptu est. Nam si quis alterius scriptoris locum in suum usum converterit, quis eam duo verba usu detrita exscripturum esse credet? Sed ut de imitatore cuiquam persuadeatur,

*) Falso Grimmius (l. l. 29): Leicht verschleiert scheint ein Vorwurf gegen Roms Herrschergeschlecht darin verborgen. Immo ut caveant ab hominibus privatae utilitati servientibus, reges monentur.

**) Mire dictum est de lacero corpore

v. 211: a si tumulum fata dedissent,
quotiens, genitor, quaerendus eras.

Sed similiter Theseus dilacerati filii membra sic alloquitur: Phaedr. 1273: en haec suprema dona genitoris cape, saepe efferendus.

***) l. l. p. 51/2.

aut plura verba inter utrosque locos communia esse debent aut insignis quaedam et nova raraque locutio. Immo rectius contenderit quispiam ipso eo, quod eadem verba in omnibus tragoediis saepe occurrant coniuncta, eiusdem scriptoris usum atque indolem dicendi cognosci. Restant igitur quinque versiculi, qui simul in Hercule Oetaeo et in alia Senecae fabula leguntur: Herc. Oet. 484 = Phaedr. 601, Herc. Oet. 911 = Herc. fur. 642, Herc. Oet. 1680 = Herc. fur. 59., Herc. Oet. 745 = Herc. fur. 1148. De quibus quid Leo ipse iudicaverit, dubito: qui cum tam similia ac fere paria uni eidemque auctori originem debere posse negaverit (p. 51), in fine huius loci (p. 53) dicit: „nempe eius generis quaecumque adferri possunt, neminem cogunt, ut a diversis auctoribus locos inter se comparatos provenisse concedat.“ Nos vero haec habemus, quibus illa excusari possint. Primum notum est etiam magis elaboratos poetas, quibus alio loco usi erant, verbis non dubitasse iterum uti. Deinde „Senecam et in reliquis fabulis semet ipsum exscribere solere“ ipse Leo optimo iure monuit (l. l. p. 49). Tum quod saepius solito in hac tragoedia accidisse hoc videtur, inde factum est, quod ceteris multo minus Hercules Oetaeus est elimata. Sed si his motus versiculis imitatorem quis finxerit, satis modestum profecto finxerit, qui tot splendidissimis et magnificentissimis locis et sententiis usui patentibus elegerit sibi quinque versiculos simplicissimos et tenuissimos.

Alia est locorum similitudo in sententiis posita. Qua, nisi duritas quaedam aut obscuritas accedat locorum, imitatorem non posse coargui ipse Leo concessit (l. l. 49). Hoc igitur spectandum erit in examinandis locis a Leone propositis.

Ac primum quidem Herc. Oet. 1408 temptavit: abrupit scopulos Athos Centauros obiter ferens.

At cur Athon simul cum Centauris ad carmen Orphei audiendum migrare minus apte dicatur aut quid duriusculi aut contorti huic loco inhaereat, non video. Immo in fabula a choro narrata immodica ista exsuperatio facilius fertur quam Herculis furentis loco (v. 968), ubi Hercules, quamquam delirat, praesens gloriatur ‚rapturum se esse dextra plena Centauris iuga‘.

Deinde offendit Leo in Herc. Oet. 1293: inter infernos lacus
possessus atra nocte cum fato steti.

Negat enim ‚possessus‘ de homine posse dici. Sed lege:

Troad. 562: nate, quis te nunc locus, fortuna quae possedit?

Accedit, quod meo quidem iudicio pulcherrime hoc verbum, quod de rebus solet usurpari, de persona hic usurpatur: augetur enim inde dira condicionis, in qua Hercules versatur, necessitas. Quod vero Herculis Oetaei locum improbavit, probavit Sili III, 423: „Hercules possessus Baccho“, scribamus: ‚possessus atra Nocte‘. Sili enim loco Bacchus per translationem pro vino est.

Tertio loco miror Leonem Herc. Oet. 1347/8 proposuisse, quamvis incertae esset lectionis. In eis enim, quae praebet A,

1347: ora quid flectis retro vultumque maerens, quis est, qui haereat?

Neque tamen Etrusci verba ita improbaverim: „vultumque mergis“. De veste enim cogitatur ac notissimum est veteres in summo dolore caput velare solitos esse.

Expressa autem haec verba esse ad Herc. fur. 1173: cur meos Theseus fugit paterque vultus? ora cur condunt sua? quo quis argumento probabit?

Herc. Oet. 1394: ‚sparsus silebo‘ mihi quidem optime de eo dici posse videtur, quem Sinis iunctis arboribus dilacerat. Huius verbi usum Annaeanum*) ex his cognosces:

Med. 630: Thracios sparsus iacuit per agros (Orpheus).

Troad. 344: Illo ex Achille, genere qui mundum suo sparsus per omne caelitum regnum tenet.

„Spargendus“, quod Leo aptius putavit, valde improbaverim. Priusquam enim dilaceratus sit, dolori non cedere, quod facinus aut quae est fortitudo?

*) cf. Ovid. Ib. 531/2

Quinto loco Leo iniquissime cum poeta egit. Statuit enim post v. 1556 lacunam: quam cum apte explere non potuisset, obscuritatem loci vituperavit. At inveniat potius, quae loco sufficiant. Quid enim, si post v. 1556 interciderunt, quae illi lumen afferrent?

In Herc. Oet. 1560—3 Leo id reprehendit, quod Senecae proprium ac tamquam peculiare esse supra diximus (p. 21): reges enim monendi et adhortandi nullam solebat praetermittere occasionem. Quam quanto studio arripuerit, Herc. fur. 745 sq. exemplo esse possunt. Quid enim in descriptione inferorum sibi vult adhortatio illa regum? Quam illic bene collocatam esse Leo quoque negavit. Herc. Oet. 1556 sq. autem aliquis est rerum contextus: inter inferorum iudices dehinc Hercules quoque erit; quanto igitur gravior erit post mortem crudelium regum et tyrannorum poena, praesertim cum illos potissimum ulcisci vivus solitus sit.

Restat, ut de Herc. Oet. 1721 verba faciamus. Miramur enim acerbitatem, qua Hercules in Philoctetam, rogum accendere dubitantem invehitur, cum ceterum, ut recte monuit Leo, compositus sit et mansuetus. Sed nescio an hoc ex Sophocle fluxerit, apud quem Hercules filium primo recusantem acerbissime exsecratur (Trach. 1201 sq. 1204 sq. 1239 sq.). Ceterum optime decet virum fortissimum, qualem se praestitit in rogo Hercules, religionem et pietatem, quae commune habet quiddam cum ignavia, fortissime vituperare. Itaque quid duri huic loco inhaereat, non video. Nec minus in Thy. 176 eadem illa animi violentia vituperari potest. Expulit enim fratrem Atreus et summis miseriis obiecit: quid igitur ignavum, inertem, enervem, quasi nil nocuerit, se compellat? Est autem hoc Senecae proprium, ut semper res augeat et fortissimis verbis utatur.

His igitur in versibus duri quidquam aut inepti aut quo imitator coarguatur, invenire non possumus. Neque aliter de tertio, quod Leo statuit, imitationis genere iudicabimus, quo solidae fabularum partes, scenae, sermones, descriptiones exprimantur vel saltem respiciantur. Ut autem id, quod fusius Leo tractavit, exemplum examinemus (l. l. p. 50/1), aptissime Alcmena — hoc enim negavit Leo — v. 1402 sq.*) et 1407 furorem instare dicit. Nimius enim dolor simillimus furori esse solet, quem notum est saepe ex dolore nasci. Accedit hoc: ignota est causa et natura mali, nulli adhuc malo Hercules succubuit nisi furori, nunc iterum succumbere videtur; quid igitur mirum, quod iterum in furorem Herculem incidisse Alcmena suspicatur? Idem famuli antea suspicati erant, cum morbus exoreretur

Herc. Oet. 806: volgus antiquam putat rabiem
redisse: tum fugam famuli petunt.

Haec autem ex Sophocle hausta sunt. Nam

Trach. 784: *τοῦ μὲν νοσοῦντος, τοῦ δὲ διαπεπραγμένου.*
κοὐδεὶς ἐτόλμα τἀνδρὸς ἀντίον μολεῖν.

facile sic intellegi possunt, ut de animi morbo cogitetur. Ex corpore enim laborantem cur fugerent famuli? Denique ne id quidem spernendum est, quod Leo ipse adnotavit, ideo nostro loco Herculem furentem fingi, ut color ille magnificus Herc. Oet. 1407: „dolor iste furor est: Herculem solus domat" inseratur. Talia enim saepe sibi indulsisse Senecam notum est. Quomodo vero hic versus cum Herc. fur. 85: „nemo est nisi ipse (par Herculi): bella iam secum gerat" comparari possit, equidem non intellego: illic enim furor, hic Hercules ipse sibi par esse dicitur. (Nam quod re vera furens in se Hercules ipse se vincit, si de rhetorico colore agitur, nihil valet.) Nec cum Herc. fur. 99: „hoc hoc ministro (Furore) noster utatur dolor" nostro loco ea est similitudo, qua de imitatione quidquam probetur. Facilius autem fieri potuisse videtur, ut ultro quis hunc colorem

*) Si verba diligentius attendis,
v. 1402: sensum quoque excussit ille nimius impulsans dolor,
nihil legitur nisi animo defectum esse Herculem.

inveniret quam ut ex diversis duobus locis consueret. Si autem concesseris hoc loco haud inepte de furore cogitari, cetera, quae in v. 1402—7 Leoni offensioni sunt, leviora videbuntur. Si enim verba spectas, comparatorum locorum*) nulla est similitudo nisi contemnenda. At sententiae simillimae sunt. Sunt, sed in simili rerum condicione similia apud Senecam legi notum est. Accedit, quod omnia, quae legimus, aptissima huic loco sunt nec satis insignia, ut ex imitatione profecta esse putanda sint. — Porro Leo Herc. Oet. 1408: „cur deinde latebras aut fugam vaecors petam" cum Herc. fur. 1012: „quo misera pergis? quam fugam aut latebram petis?" comparavit utram sectatus similitudinem, verborum an sententiarum? At illa quaenam est, cum una locutione, quae est „fugam aut latebram petere", contineatur? An in eo similitudo posita est, quod utroque loco de fuga cogitatur? Sed praeclarum mihi videtur, quod Alcmena, Megarae calamitate docta, quae sibi Hercules furore sui impotens indulgere soleret, cum idem malum instare videatur, manibus furentis se subtrahere constituit. Quod autem fugae consilio mox revocato decere Alcmenam censet forti manu vel scelere mori, haec est illa virtus animique fortitudo maior quam pro homine, qua apud Senecam non solum viri, sed etiam mulieres esse solent. Neque tamen, ut contendit Leo, occidendam se filio praebet: tantum non fugit. Herc. fur. 1029 et 1039 Amphitruo Herculi uxorem liberosque caedenti ipsum se offert: diversa igitur est utriusque loci actio. Deinde et Herc. Oet. 1412 sq. et Herc. fur. 1044 sq. aeger Hercules gravi somno opprimitur: hoc enim solum inter eos locos, quos comparavit Leo, commune est. Hoc vero nostro loco ex Sophocle sumptum est, apud quem dormiens Hercules in scenam infertur (Trach. 978 sq.), neque ita esse non potest, ut sequens scena fiat, qua Hyllus frustra dehortante Alcmena patrem somno excitat.**)

Extremis verbis (Herc. Oet. 1415—8) ad deos Alcmena confugit petitque, ut excusso morbo Hercules convalescat: quo quid potest fieri aptius et pulchrius? Cur igitur haec ex choro Herculis furentis (1054—1137) excerpta esse putemus? In verbis quidem nulla est locorum similitudo ac si res spectantur, hic de corporis tantum morbo sermo est et precatur Alcmena:

Herc. Oet. 1417: abeat excussus dolor corpusque vires reparet Herculeum suas,

illic multo gravior est animi aegritudo oratque chorus:

Herc. fur. 1080: nec torva prius pectora linquat (sopor)
quam mens repetat pristina cursum.

Itaque nescio an magis Alcmenae quam Amphrituoni sit, cur a somno auxilium speret (Herc. Oet. 1429. Herc. fur. 1051). Eandem spem in Trachiniis senex quamquam non apertis verbis significat (v. 974 sq.). Ex eodem fonte fluxit, quod expergefactus Hercules quaerit:

Herc. Oet. 1432: Quid hoc? rigenti cernitur Trachin iugo
aut inter astra positus evasi genus mortale tandem?

cf. Trach. 984: ποῖ γᾶς ἥκω; παρὰ τοῖσι βροτῶν κεῖμαι;

Hoc multo facilius intellegetur quam illum locum deberi

Herc. fur. 1138: quis hic locus, quae regio, quae mundi plaga?

Denique Leoni displicuit, quod Herc. Oet. 1452/3 Megarae ab Hercule furente interfectae mentio fit. Sed quid facilius animum Herculis, cum Deianirae scelere iacere se putaret, tangere potuit quam Megarae memoria, quae ipsius scelere mortem quondam obierat aut quid magis erat in promptu quam utriusque uxoris comparatio? Hoc igitur ex imitatione Herculis furentis profectum esse vix cuiquam persuadebitur.

*) Comparavit Leo Herc. Oet. 1404/5 cum Herc. fur. 1053, Herc. Oet. 1405/6 cum Herc. fur. 953 et 1022, Herc. Oet. 1406 cum Herc. fur. 1009.

**) l. l. Leo pergit: „nunc cum choro locus fuerit". Quem hic significet chorum, ne suspicari quidem possum. Num hoc loco chorum inserendum fuisse putat? At habemus chorum post centum versus, neque cur hoc potissimum loco choro opus fuerit, video neque ita severe poetae praecipiendum esse censeo.

Jam ceteros Herculis Oetaei locos, quibus auctorem reliquas fabulas vel respexisse vel expressisse Leo contendit, quamqam tetigit potius rem quam explicavit, examinemus. Verborum enim inter Herc. Oet. 845 sq. et Oed. 1024 sq. nulla est similitudo. Sententiarum autem quae sit, demonstrabo. Jocasta enim dubitantem primo ac nolentem animum ad mortis consilium compellit (Oed. 1024—7), Deianira item breviter se cohortata mori constituit (Herc. Oet. 844—6). Simul causam, cur moriendum sit, illa addit, quod humana iura omnia miscuerit, haec, quod Hercule orbem privaverit (cf. Herc. Oet. 854/5. 871 sq.). Illa ne fulmine quidem ictam satis magnam poenam daturam se esse sperat (Oed. 1028—31); haec cum antea a Jove petierit, ut acerrimo se telo contereret et contunderet (Herc. Oet. 847—54), mox per deos mori non vult, cum coniugem Alcidae necem optare pudeat. Illa cum ferro mortem petere constituerit (Oed. 1027), statim filio se offert necandam, ut eodem ense cadat ac Laius (1032—5); tum, cum suis manibus rem conficiendam esse videat, qua corporis parte ferrum excipiat, dubitat. Deianira vero varia genera necis perlustrat nullo satis contenta ac primum Jovis fulmine, deinde sua manu, post saltu in praeceps dando, tum ense Herculeo, mox saxis ac facibus ab iratis populis iaciendis, denique fulmine a Junone spargendo vitae finem facere cupit (Herc. Oet. 845—84). Quid his locis commune est aut simile, nisi forte id dicis, quod utroque loco dubitatur de nece? Universo igitur locorum consilio ac dispositione simili, explicatione diversissima quid iudicemus? Imitatorem statuamus an eiusdem auctoris in universis rebus sibi constantis, singula ex proposito iucunde variantis manum atque ingenium cognoscamus?

Inter Herc. Oet. 1377 sq. et Herc. fur. 1206 nihil esse commune video, nisi quod et hic et illic caeli in Herculem ruituri (Herc. Oet. 1385 sq. Herc. fur. 1204 sq.), Promethei tormentorum (Herc. Oet. 1377 sq. Herc. fur. 1206 sq.), Symplegadum (Herc. Oet. 1380 sq. Herc. fur. 1210 sq.) mentio fit. Haec autem non sufficere, ut de imitatione quidquam probetur, nemo negabit, praesertim cum universum consilium alterius loci plane ab altero abhorreat. In Hercule Oetaeo enim cum hos tum alios corporis cruciatos saevissimos fortiter ac sine ulla flebili lamentatione toleraturum se esse Hercules pollicetur, praesenti malo parem se esse negat. In Hercule furente haec, quae nominavimus, ut iustam poenam non recusaturum se esse profitetur.*)

Porro Phaedr. 812—9 cum Herc. Oet. 1652 sq. Leo iussit comparari. Illius loci haec est sententia: tanta est Hippolyti vis et habilitas, ut iaculum longius mittat quam Cretes harundinem, sagittis vero semper vel de mediis nubibus praedam ferat. Herculis Oetaeo loco haec leguntur: arcus Herculei ea est vis et virtus, ut numquam vitet hostem, vel de media nube praedam auferat, ipse certum det iter telis. Sententiarum igitur cum nulla sit similitudo, verborum haec est:

Phaedr. 817 (tela) nulla sine alite
descendent, tepido viscere condita
praedam de mediis nubibus afferent.
Herc. Oet. 1653 si vel e medio voles
auferre volucres nube, descendent aves
et certa praedae tela de caelo fluent.

Quae si imitatori deberi putas, elegantissimus profecto erat iste et qui ingeniosissime, quae invenit, variaret. — Phaedr. 380—2 et Herc. Oet. 1027—9 hoc habent commune, quod illic Jocasta,

*) Ut doceam, quo nimia mentis acies possit deducere, aequo iure aliquis contenderit locum Herculis furentis
1216 quin structum acervans nemore congesto aggerem
cruore corpus impio sparsum cremo?
respicere atque expressum esse ad Herculem Oetaeum.

hic Hyllus, quoquo se vertat, scelus se posse effugere negat: illa enim utrique filio, hic utrique parenti simul pietatem servare nequit. Rhetoris haec esse, non est, quod dicam, atque hae sunt illae similitudines, quibus unius eiusdemque scriptoris indolem et ingenium cognoscas. — Sed ut finem faciamus huius loci, Phaedr. 951—3 Theseus voto a Neptuno sibi concesso etiam inter profunda Tartara se pepercisse dicit: de pacta igitur fide agitur. Herc. Oet. 1293 sq. Hercules neque in aliis et multis periculis, neque apud inferos suis se manibus fretum a dis auxilium petivisse gloriatur. Levissima igitur inter hos quoque locos est similitudo. Accedit, quod miraremur, si in enumerandis periculis Hercules durissimum, quod unquam subiit, omisisset.

Proximum est, ut, quo iure Herculis Oetaei auctorem ineptire dicant, videamus. Hoc illud est argumentum, quo ne abutamur, vix satis cavere possumus. Etenim cum notissimum est grandia et magnifica facile solere abire in ridicula et stolida, tum difficillimum est constituere, quousque Seneca tumidus certe et efflatus progredi sibi visus sit. Quibus de causis magnopere timendum est, ne ex suo quisque ingenio et arbitrio alius alia iudicet.

Primus de Herculis Oetaei virtute poetica plenius disputavit W. A. Swoboda. Qui tamen etiam iuvenit, quae laudaret. Laudavit enim chorum Joles et Oechalidum, in quo multa ad commovendam misericordiam apta essent (l. l. p. 336), laudavit chorum Herc. Oet. 584 sq. (p. 341), laudavit elegantem inventionem v. 1479/80, cui loco toti laudem tribuit (p. 347), laudavit v. 1572 sq., quibus versibus virtus Herculis humana maior gravissime et aptissime praedicaretur. Vituperavit autem haec. Herc. Oet. 80 sq. Herculem ridicula et stulta promittere (p. 335). Est sane profusa exsuperatio. Sed quem Alpheum et Peneum novo alveo avertisse et vallibus inter Abylam et Calpen diremptis Oceanum intromisisse mythus tradidit, eundem mirabimur apud Senecam Histro et Tanai novas vias se daturum, Isthmum se perfossurum, Siciliam cum Italia iuncturum se esse promittere? Novi enim et inauditi nostro loco nihil inventum est; variavit et, ut semper solet, auxit Seneca, quae reppererat ab Hercule facta esse. — Herc. Oet. 208—10 et 346 sq. immania et vix ferenda nobis ante oculos poni (p. 338 et 339). Haec qui horret, Thyestae legat cum v. 720—43 tum v. 755—75, legat Phaedrae v. 1256—70: eiusdem scriptoris atrocitatem agnoscet. — Herc. Oet. 775 sq.: descriptionem Euboeae et sacrificii ad rem propositam non pertinere (p. 343). Sed cum antea tum post uberrimam Smithii (de arte rhetorica in L. A. Senecae tragoediis perspicua. Lips. 1885) dissertationem scimus, quantopere Seneca descriptiones adamaverit. Quibus ut locus fieret, ne rerum quidem et personarum iustas rationes neglegere dubitavit. Cuius rei ubique exempla invenies. Lege Oed. 530—618, ubi Creo, cum invitus loquatur et adstet rex morae impatiens, tamen nonaginta versibus commode primum locum, tum sacrum ipsum depingit, vel Herc. fur. 662—759, quae inferorum descriptio cum universo fabulae consilio minime cohaeret, vel Phaedr. 1—80, de quo loco supra dictum est. — De Herculis Oetaei choro 1031 sq. supra egimus (p. 20). — Herc. Oet. 907 sq. ab Herc. fur. 1341 sq., cum hic Athenis, illic Cinyphio fonte Hercules Megarae et liberorum caedem expiasse feratur, ita dissentire, ut unus utriusque fabulae auctor statui non possit (p. 343). Sed singularum rerum quam neglegens fuerit Seneca, Herc. fur. 477/8 docemur, „ubi Euryti eversi domus“ commemoratur, cum tamen extremum atque ultimum neque multo ante Herculis mortem factum esse hoc facinus et omnium auctorum consensu constiterit nec per ordinem rerum et eventum aliter fieri licuerit. Accedit quod etiam aliis locis Senecam secum pugnare videmus. Si enim Herc. fur. 818—21 cum Phaedr. 847—9 comparaveris, illic Theseus iuvit Herculem Cerberum domantem, hic vix potuit sequi. Maior est etiam et quam multo magis mireris, discrepantia, quod Joacastam, quam Oed. 1040 sq. manum sibi ipsam inferre iussit, Phoen. 363 sq. superstitem fecit. — In Herc. Oet. 1235 sq. quae molesta aut immodesta Swobodae visa sint (p. 345), invenire non possum. Rectissime enim Hercules in summa virium infirmitate et defectione dubitat, num eisdem viribus praeclaras illas, quas gessit, res

gesserit. Quod ut credamus, Sophoclis auctoritate adducimur, ex quo locum illum fluxisse apertum est (cf. Trach. 1089 sq.). — Ad v. 1741 sq. Swoboda indignatus quaerit: ist diese Unnnatur wohl Heroismus (p. 348)? Egrediuntur haec certe naturam et patientiam humanam, sed aptissima sunt ad describendam Herculis virtutem Stoici more corporis dolores et mortem contemnentis. Quo loco fortasse in mentem venerit alicui Muci Scaevolae, quem rerum scriptores brachium igne cremavisse tradiderunt. Verba, quae sunt ‚gerit aliquid ardens', quantopere ex intima mente et cogitatione Senecae dicta sint, supra adnotavimus (p. 18 adn.). — Restat unum, in quo Swoboda offendit, quod, cum v. 1500 Hercules dubitet, num sit Jovis filius, fundamentum, quo tota fabula nitatur, evertatur (p. 347). Similis est rerum condicio in Troad. 371 sq. Chorus enim, postquam Talthybius vix rettulit apparuisse multis testibus Herculis umbram, de animorum immortalitate stulte atque impie (sic Gronovius) dubitare coepit. Quo nescio quid magis totum illius fabulae fundamentum deleret, illud si iure contendisset Swoboda. Sed et Troades optime stare potest et Hercules Oetaeus. Cum enim humanum sit id credere nolle, quod noceat, suo iure chorus Troadum negata animorum immortalitate excusationem hostibus eripere studet, quam illi sibi ex iussu Achillis ab inferis reducis facti paraverant. Sed negent licet Troades calamitate iniquae mortuorum res ad viventes pertinere, apparuit tamen Achilles neque factum hoc dubitatione illarum fit infectum neque fabula non potest procedere. Eadem est Herculis Oetaei ratio. Ingenti enim dolore aut calamitate saepe efficitur, ut fortissimi quoque viri de se desperent. Quod quamquam illo loco Herculi accidit, tamen non facit, ut Amphitruonis ille neque Jovis sit filius. Sed est Jupiter Herculis pater, qui in caelum cum attollet, quamquam aliquando de patre suo dubitavit.

Goebelius (quaestiones Horatianae pars II in Muetzell, Zeitschrift für das Gymnasialwesen XVI. p. 738 sq.) Herc. Oet. 1036—1100 a reliquae tragoediae auctore abiudicavit. Quem cum Leo (l. l. p. 53) adiutorem sibi advocaverit, videamus nunc, quae Goebelio in hoc loco displicuerint. Ac primum quidem vituperavit (p. 739), quod haec chori pars (1036—1100) nequamquam ex antecedentibus per verba „illius stetit ad modos" penderent. Sed quoniam descriptionum Senecam avidissimum fuisse scimus, quarum sicubi in choro est excusatio, sufficiebat Orphei nominis mentio, ut decriptio insereretur, quae cur non apte per pronomen demontrativum ad vocem Orphei annectatur, non video. Deinde quod v. 1093 sententia versuum 1033 sq. foede iterari dicit, ne hoc quidem viro docto concedi potest. Cum enim digressione facta ad rem propositam redeundum esset, optime hoc factum est iterata illa sententia, a qua poeta erat profectus. Ac mirum quam rotunde concluditur sententiarum ambitus. Nam: „omnia, inquit, vicit vis cantus, vicit feras, montes, flumina, inferos. Mortem vero, cui amatam coniugem erepturus erat, non vicit, sed in medio triumpho sensit invictam fati necessitatem. Tum flebili cantu solamina quaerens haec cecinit Getis e. q. s." Qui sequntur versus, qui quin misere corrupti sint, nemine erit dubium, nunc cum de auctore fabulae agatur, respici non possunt. Iniuria autem Goebelius de poetica huius loci virtute detraxit. Quis enim vituperaverit poetam, quod, ut cantus vim mirabilem praedicaret, naturae leges illa superari dixit? Hoc enim est, quod longinquissimas terras vatem audientes, fluvios stantes, montes properantes, feras familiariter ad homines adeuntes, animalia et carentia anima alia iuxta alia, ut audirent, sidentia fecerit. Hoc est, quod ferae cum latebris ipsis, cum silvis volucres adsint, serpentes vero et Dryades, quippe quae raro latebras aut quercus relinquere soleant, relinquant eas. Nec tamen nimis premi velim, quod haec sine domiciliis, illa cum eis accurrunt. Fortuita haec sunt neque legenti cuiquam nisi ad vituperandum promptiori offensioni sunt. Porro reprehendit Goebelius, quod, dum Hebrus carmine detentus moratur, defecisse eum putant Bistones; totum enim flumen stare debere a fonte usque ad ostia. Quae tandem hae sunt argutiae! At si rem ita tractare placet, stare debent, quae prope poetam fluxerunt, undae et, cum longinquiores defluant, fit, ut aliquamdiu flumen ex inferiore parte deficiat. Bistones igitur, quamquam ita sunt remoti, ut audire nequeant, tamen ipsi quoque sentiunt vatem intermittente

suo flumine. Aliud est, quod miserrimum in modum v. 1087 sq. ab Ovidii descriptione (Met. 10, 55 sq.) discrepare Goebelius (l. l. p. 740) dicit. Sed hoc non est, cur hunc locum deleamus. Hac enim lege omnes loci deleantur necesse est, quibus similia alter dissimiliter ab altero tractavit: semper enim potior est Ovidius. Sed eo minus Goebelius

Herc. Oet. 1089: quae nata est iterum, perit

vituperare debuit — dicit autem: „nata iterum non erat, nec perit, sed relabitur" — nam Ovidius ipse quoque Met. 10, 60: „iamque iterum moriens." — Ad Herc. Oet. 1092 Goebelius adnotavit ad Getas Rhodopen nihil pertinere. Sed Getas inter Thraces veteres solebant numerare neque nimis exigue et subtiliter ad calculos rem vocandam esse censeo. Quod autem huic narrationi Herc. fur. 569—90 et Med. 625 sq. similes esse vir doctus dixit, hoc argumento rectius pro Seneca auctore pugnari quam contra eum supra diximus.

Alterum locum temptavit Goebelius Herc. Oet. 156 sq. (l. l. p. 743/4). Putat enim v. 163—72 eiciendos esse, primum quod versus, quibus Jole chorum excipit (inde a v. 173), aptissime respondeant v. 162. Sed primum quidem levissimum hoc est argumentum, quod vel aptius aliquid inveniri potest. Deinde numquid minus apti sunt Joles versus, si antecedunt v. 163—72? Cum enim patriae excidium chorus luxerit, nonne apte Jole: „vos patriam et communes omnium calamitates plangite, me meorum internecio meaque servitus iubet lamentari?" Nec gravius est alterum, quod protulit Goebelius, argumentum: v. 163—72 pugnare contra lugentium naturam, cum consentaneum sit, postquam patriam urbem ab Hercule captam esse atque eversam pronuntiaverunt, conticescere eas ac luctui se tradere. At hoc sic onsentaneum est, omnino mutae necesse est in scenam prodeant neque ullum verbum faciant et silentio doloris magnitudinem demonstrent: ac pulcherrimum hoc est et Sophoclis auctoritate probatum. Quoniam vero Senecae placuit verbis illas effundere dolores, singula, quae dicantur, poetae praecipi non possunt. Ac si nihil dici per Goebelium licet nisi captam esse patriam, multos et alios eosque praeclarissimos huius chori locos delere debemus. „At ineptias, inquit, proferunt." Num inepte dicunt Oechalides invictum Herculem nec cuiquam comparabilem tantamque suam esse cladem, ut iam nihil possit addi? — Denique Goebelius v. 159—61 delevit, quod Parthorum mentio simul contra temporum regionumque rationem peccaret. Sed in qua tandem ex omnibus his tragoediis Parthi, ut ipse dicit, decantati non pugnant contra temporum regionumque rationem? Num melius commemorantur Thy. 384. 462. 603, Oed. 119, Med. 710, Phoen. 428, Phaedr. 816? Quid, quod in quaque fere pagina occurrunt nomina gentium ac regionum heroum temporibus prorsus ignotarum?

Iam Leonem audiamus. Qui primum, quem impugnaret, locum elegit sibi Herc. Oet. 842 sq. (l. l. p. 53 sq.). „Si superi, inquit, Herculem reposcunt, non est Deianirae scelus, quo occidit." Sed timeo, ne doctum virum fugerit, qua tandem in re summa huius loci et Deianirae cum Hyllo disputationis posita esset. Neque enim negat illa fati culpa se in scelus incidisse: attamen poena sibi digna esse videtur. Ita enim solebant veteres iudicare, qui ex fato et deorum numine nullam putabant sceleris esse excusationem, cuius opinionis Oedipodis et Aiacis fabulae certissima sunt exempla. Ita nimirum etiam Seneca iudicavit, cf. Herc. fur. 1238. Phoen. 452 sq. 538 sq. 554 sq. Ita Deianira:

Herc. Oet. 887: Quicunque fato ignoscit et parcit sibi
errare meruit: morte damnari placet.
890: Mors innocentes sola deceptos facit.
901. Hyllus: fata quis damnat sua?
Dei. Quicunque fata iniqua sortitus fuit.

Contra Hyllus matri obloquens:

886: haut est nocens, quicunque non sponte est nocens.
983: ignosce fatis: error a culpa vacat.

Deinde Leo offendit in Herc. Oet. 844. Est profecto argute dictum: „Hercules orbi reddendus est, quod cum perficere non possis, redde, quod poteris: poenam.“ Sed talia a Seneca non aliena esse ipse Leo ostendit, qui cons. Helv. 10, 3 laudaret: „nec piget a Parthis, a quibus nondum poenas repetiimus, aves petere.“ Simillimum est Ag. 987: fratrem reddat aut animam statim.

Idem inepte interrogari putat Herc. Oet. 867: eligere nescis, anime, cui telo incubes?, cum antea et ferro mortem sibi parare dubitaverit et a rupe praecipitare se constituerit, ut multiplici morte periret. Sed telum non est ferrum, sed, ut v. 859/60:

quidquid ad mortem trahit, telum est abunde

docemur, omne mortis genus significat. Itaque sententia v. 867 haec est: eligere nescis, quo potissimum mortis genere utaris. Quod autem versum

Herc Oet. 866: levis una mors est — levis? at extendi potest

expressum esse dicit ex

Oed. 948 quod saepe fieri non potest, fiat diu,

de altera versus parte concedi potest, quamquam satis commode verba variata esse nemo negabit. Altera vero pars ex Horatio sumpta est, cf. od. III, 27, 37: levis una mors est.

Porro Deianiram ad ferrum bis electum bisque improbatum ad extremum (v. 868) revolvi, non est, quod apud Senecam miremur. Nam Thy. 316 Atreus liberos insidiarum patruo struendarum conscios facere constituit, revocat hoc consilium v. 321, iterum capit 324 sq., denique iterum revocat 330 sq. De ense autem Herculis, quem Herc. Oet. 869/70 fingi Leo indigne fert, non tantum hoc loco, sed etiam Herc. fur. 1229 mentionem fieri supra diximus. Nec, hoc si non esset, dedeceret Senecam Vergili locum, quem Leo laudavit (Aen. 4, 494), imitatum esse. — In Herc. Oet. 922 sq. suo iure haesit Leo. Sed coniectura sanandum esse censeo. Quid enim, si legamus:

Herc. Oet. 922: frustra tenetur ille, qui statuit mori.
924: vixit satis quicumque cum Alcide occidit.
923: proinde lucem fugere decretum est mihi.

Ita enim ordinati versus offensione vacant. Sed si quis melius potest proferre, proferat. — Item Leoni concedimus in Herc. Oet. 1272: durior saxo horrido
et chalybe voltus et vaga Symplegade
rictus meos infregit et lacrimam expulit

putidum sensum inesse. Sed huic quoque loco facili coniectura subveniri posse puto. Scribamus enim:

durius saxo horrido
et chalybe volnus et vaga Symplegade
rictus meos infregit et lacrimam expulit.

„Volnus“ de morbo, quo Hercules consumitur cum per se facile dici posse intellegitur tum supra dicitur (v. 1250). — In Herc. Oet. 1302 sq. nimia severitate Leo usus est. Erravit enim in eo, quod subaudiendum esse censuit: „iam cognovi te verum patrem non esse“. Dicit autem Hercules haec: Caelo peperci, quia Jovem patrem putavi. Nunc patrem decet, si crudelis est, crudelitatem explere filio non solum afflicto, sed necato; si misericors, misericordia motum finem facere dolorum morte. — De Herc. Oet. 1473 sq supra disputavimus (p. 19 sq.). — Ad extremum Leo Herc. Oet. 1595 sq. impugnavit. „Mundus, inquit, sonuit: inde coniecturas capit chorus; at ut conicere possit manes trepidare Cerberoque aufugiente tumultum exoriri, fragorem imo de fundo audisse debet.“ Hoc iure contenderet vir doctus, si „mundus“ tantum esset „caelum“; sed est „rerum universitas, caelum, mare, terra“. Quae cum simul strepere videantur, ut unde potissimum sonus proficiscatur, distingui non possit, varias illas chorus capit coniecturas.

De metrica arte in Hercule Oetaeo perspicua non habeo, quod dicam. In metricis enim rebus Herculem Oetaeum cum reliquis fabulis plane consentire omnes concesserunt, Leo, Schmidtius, Mueller, Richter (l. l.).

Restat igitur unum, in quo huius generis disputationum cardinem solent ponere, ut, orationis quod sit in Hercule Oetaeo genus, quaeramus. Unde tamen nos minorem percipiemus fructum, cum neque in copia neque in usu vocabulorum Seneca tragicus ab optimis poetis, quorum erat imitator, recesserit, ut vix quidquam eius proprium fuisse dici possit. Videamus autem, quae viris doctis in Herculis Oetaei oratione minus placuerint.

Ac primum quidem molestissimas eiusdem vocis repetitiones vituperaverunt (D. Heinsius, ed. Scriv. 347, Goebel. l. l. p. 740, Birt., mus. Rhen. 34, p. 533, Leo l. l. p. 57). Sed huius generis quaecunque viri docti collegerunt, nihil facere contra Senecam auctorem Herculis Oetaei nemo negabit, qui ceterarum tragoediarum usum ac rationem examinaverit. In Phaedra enim haec leguntur: immitis 226. 231. mitis 245. immitis 273. miti 274. — ferar 403. ferat 415. ferant 418. ferat 422 (semper in fine versus) — impudicos 704. impudicum 707. pudor 712. pudicam 728. impudicam 735. — coma 754. comas 757. comae 769 (semper in fine v.) — forma 761. 773. formonsi 772. forma 778. formonsos 781 (forma 820. 822. deformis 823) — morti 855. moritur 856. 861. mortem 871. mori 871. mors, mors 878. morte 879. mors 881 — generis 900. 905. genus 907. degener 908. genus 911. generis 914 — partes 1258. pars 1261. pars, pars 1267. partes 1278 — genitor 1256. 1264. 1273. — Elegi ex Thyeste: domus 3. 22. 33. 46. 53. 101. 104. 123. 190. 224. 230. 240. 249. 263. 272 — manus 494. 518. 522. 532, ex Medea: perfectum 986. facinus 987. facti 989. feci 990. 991. facti 993. facinus 999 — manus 680. 678 701. 719. 749. — dedit 756. 776. 801. 811. 823. 824. 841 — manus 952. 969. 977. 987. 1009 — dolor 907. 914. 944. 951 — ira 916. 927. 938. 943. 953.

Multa possunt addi: sed quid plura? Haec qui perlegerit, facile concedet variandi sermonis haud ita studiosum fuisse Senecam. Ac crebras has repetitiones neglegentioris esse non negaverim. Quod vero plerumque vitium est, interdum solet virtus esse. Iniuria enim Birtius (l. l. p. 535) poetae vitio dat, quod novies brevibus intervallis interpositis Iole captiva, paelex, famula appellatur (Herc. Oet. 278. 287. 290. 293. 304. 334. 347. 354. 391). Quod quam fortiter proposito inserviat, neminem fugere potest. Neque enim satiari aut expleri posse videtur Deianira eo nomine, quo et ipsius dignitas et inimicae vilitas exprimatur. Idem pertinet ad Herc. Oet. 1031—90, ubi septies canendi verbum legi Leo aegre tulit. Cum enim totus ille chorus de cantu Orphei agat, res ipsa et argumentum crebriorem illius vocis usum non solum excusare, sed etiam postulare videtur.

Aliam neglegentiam Leo in construendis sive pronuntiandis sententiis deprehendisse sibi visus est. Male enim constructos esse putat v. 1854 sq.

cessate matres, pertinax si quas dolor
adhuc iubet lugere, quas luctus gravis in saxa vertit.

Sed plane eadem est constructio Phaedr. 285 sq.:

quaeque nascentem videt ora solem,
quaeque ad Hesperias iacet ora metas,
si qua ferventi subiecta cancro,
si qua Parrhasiae glacialis ursae
semper errantes patitur colonos,
novit hos aestus.

Item Thy. 122 sq., Troad. 181 sq., Med. 625 sq. enuntiata relativa procedente oratione in coniunctionalia abeunt. Liberioris autem constructionis haec sunt exempla:

Oed. 332: quid istud est, quod esse prolatum volunt
iterumque nolunt et truces iras tegunt?

Thy. 655: obscura nutat silva, quam supra eminens
despectat alte quercus et vincit nemus. —

In Herc. Oet. 1511: ‚Alciden suum dici esse voluit' abundare ‚esse' dicit Leo. Sed aeque bene dicere possumus: ‚Hercules Junonis dicitur esse' atque „H. Junonis dicitur." Eodem iure Leo haerere potuit in Herc. Oet. 1506: Juppiter credi meus pater esse gaudet. Sed adiecto „esse" verba fortiora mihi videntur et quae maiorem fiduciam prae se ferant. —

In Herc. Oet. 975: teque languenti manu non audit arcus

mihi quidem nihil offensioni est. Quid enim est vitiosi in his: „te, cum languenti sis manu neque verbis tuis vim possis adicere, non audit vel tibi non oboedit arcus?" — Nec minus miror, quid in

Herc. Oet. 1925: et Centauris Thessala motis
ferit attonitos ungula manes

Leo offenderit. An ideo Thessala ungula manus ferire vitiose dicatur, quod manes umbrae nec corpora sunt? At vix serio puto quemquam ita cum poeta acturum esse. —

Herc. Oet. 1604: „quem tulit Poeans" excusare me non posse fateor: nisi de matre verbum, quod est ferre, usurpatum nusquam inveni. Nec quomodo coniectura locus sanari possit, video.

De copia verborum quae dicenda erant, satis plene dicta sunt et a B. Schmidtio (zur römischen Tragödie, mus. Rhen. 1861, p. 589 adnot.) et a L. Muellero (Jahn. ann. 89, 1864, p. 412).

Sequitur, ut de usu vocabulorum verba faciamus. Atque examinaturi, quae doctis viris dubitationes moverint, nostro certe iure ea praeteribimus, quae locis nituntur aut manuscriptorum dissensione dubiis aut probabili coniectura iam pridem sanatis.

„ictus" male dici pro emissione iaculi (Herc. Oet. 161) D. Heinsius (l. l. p. 344) contendit. Sed lege Caes. bell. Gall. 1, 25: „scuta uno ictu pilorum transfixa". Liv. 34, 14: „non caecis ictibus procul ex improviso vulnerabantur". Idem num pro „planctus" poni possit, dubitat (Herc. Oet. 1902). Confer autem Herc. fur. 1112 sq.:

non sunt ictu ferienda levi,
uno planctu tria regna sonent.

Quod „genus" compluriens pro „genere humano" ponitur, singulare esse concedimus (Herc. Oet. 63. 760. 1810. 1862). cf. D. Heinsius p. 345/6. Richter p. 26. Leo p. 61. Birt p. 516. — Porro „colus" in Hercule Oetaeo constanter quartam, quae dicitur, declinationem sequitur (219. 373. 564. 669. 769. 1085. 1098. 1180), item Oed. 984. Obstat novem his locis unus Herc. fur. 559, ubi „colos" legitur. (cf. Richter p. 26). Notum est autem utramque declinationem substantivum „colus" pati solere. Si vero per Richterum Senecae ea, qua ceteri usi sunt, licentia non licet uti, Herc. fur. 559 mutandus est, non novem illi loci. — In eo, quod „colus" pro „lana" (Herc. Oet. 669) et „nodus" pro „clava" (v. 1662) ponitur, nihil invenio a Seneca alieni. Notissimae enim sunt atque omnibus poetis usitatissimae hoc genus translationes. cf. Richter p. 26. —

Birtius (l. l. 537/8) in plurali „populi" haesit: solere enim Senecam singulari huius vocis uti. Sed nemini pluralis numerus offensioni erit Herc. Oet. 607/8. 613. 672, quibus locis de rege multis populis imperante sermo est, aut Herc. Oet. 855. 1018. 1335. 1586. 1605. 1917. 1993, ubi de totius orbis terrarum populis certe pluribus cogitandum est, aut 1818: „Hebri populos". Restant igitur 1536 et 1811. Quorum prior locus dubius est, cum in A legatur: „Arcadum — populi vetusti". Sed sit genuina Etrusci lectio („Arcadum — populis vetustis"), cum constat Arcades in multas res publicas divisas fuisse semper inter se discordes, tum ne verum quidem est pluralem „populi" singularis loco Senecam non adhibuisse. Sive enim per synecdochen sive exaggerandae sententiae causa pluralis legitur Troad. 772, Thy. 648, Ag. 602, Med. 58. —

„Immemor" Herc. Oet. 1085 Goebelio (p. 740) obscurius visum est, cum non additum esset, cuius rei Opheus fuisset immemor. Sed et hoc facillime suppletur — condicionis nimirum

a Plutone datae oblitus erat — et aliis locis hoc adiectivum absolute usurpatur, e. g. Verg. Aen. 2, 244, ubi nescio an difficilius, quae sit illius vis, intellegitur.

„Ambobus“ Herc. Oet. 822 pro „utrobique“ dici aegre fert D. Heinsius (p. 344) et Richter (p. 25/6). Sed est potius pro „duobus locis“ positum. Cum enim haud dubie N. Heinsius (advers. p. 404) recte emendaverit: „unus ambobus iacet“, habemus hic exemplum Annaeani ingenii: captat enim rhetoricam numerorum anthithesin. cf. Herc. Oet. 322: una quot poenas dabis. Med. 421/2: liberis unus dies datus est duobus. Oed. 937: uno omnia pensabis ictu? Ag. 837: geminosque fratres pectore ex uno tria monstra natos. —

Genetivus pronominis personalis in Hercule Oetaeo passim pro pronomine possessivo positus Birtio (p. 516) displicuit. De eadem re Leo (p. 64/5) cum largius disputaret, iniustissime cum poeta egit. Undique enim arripuit exempla et sive in A sive in E genetivum pronominis personalis invenit, hunc vel illum codicem secutus est. Ut autem singulos locos examinemus, Herc. Oet. 557 duplicem habemus lectionem: E „perbibat formam mei“, A (ut ipse Leo concedit) minus dure „flammas mei“. Primum igitur cur Etrusci lectionem praetulerit Leo, nescio. Commendatur enim altera lectio et ipso eo, quod minus dura est, et quod ad verbum perbibendi „flammas“ magis convenire videtur. Deinde scimus genetivo pronominis personalis personam gravius premi quam pronomine possessivo. Eo vero tota illius loci sententia spectat, ut Jole et Deianira inter se opponantur. Denique Leo ipse rhetorum esse docuit genetivo pronominis personalis uti allatis Sen. contr. 2, 2, 9 et exc. 3, 7. Notum est autem, quam prope ad rhetorum usum Seneca soleat accedere. Hinc satis praesidii parari puto et verbis „flammas mei“ et Herc. Oet. 1217: „dextra tui“: huius enim loci ipsius quoque ea vis est, ut persona urgeatur. Porro v. 954 A „tuam“, v. 1242 E „mea“, v. 949 E „tibi“, v. 1502 A „mihi“ pro genetivis pron. pers. praebet. Leo si sibi constare voluit, semper E debuit sequi: nulla vero est critica ratio neglecta, quam ipse statueris, codicum aestimatione semper id eligere, quod forte proposito faverit. Nos autem, quibus minime persuasum est recensionem A nullius momenti esse, pari utrique codici auctoritate vindicata ex alterutro recipiemus, quod cuique loco aptissimum aut auctore dignissimum videbitur. Neque igitur dubitamus illas, quas supra diximus, lectiones in textu ponere. — De verbis (Herc. Oet. 1966): „quidquid in nobis tui e. q. s.“ supra diximus (p. 9 adn.). — „Quotus“ saepius apud Senecam legitur, quam Birtio (p. 533) visum est. Qui cum Herc. fur. 1191 et Oed. 67 afferret, praetermisit Herc. fur. 383, Med. 896, Ag. 22. Quod autem numero aliquanto crebrius in Hercule Oetaeo invenitur (51. 95/6. 164. 640), non est, in quo haereamus. — „Aliquis“ pro „quidam“ (Herc. Oet. 1850. cf. Richter p. 25) valde ex Senecae more dictum esse vidit Leo (p. 66). Cuius rei in his tragoediis haec sunt exempla: Troad. 266 aliquando = quondam. Phoen. 249: aliquis = quidam (paulo ante legitur „quosdam“ v. 247). Phaedr. 659: pars aliqua = pars quaedam.

In „vetare Solem“ (Herc. Oet. 150) et „vetare Phoebum“ (Herc. Oet. 1624) D. Heinsius (p. 345) vituperavit, quod „vetare“ pro „arcere“ positum esset. Similis est huius verbi usus Stat. Theb. 12, 558: „quos vetat igne Creon“, quo loco „vetare“ etiam constructionem verborum arcendi recepit. — Idem (ibid. cf. Richter p. 25. Leo p. 62) „quiescere“ verbum agens esse posse negavit (Herc. Oet. 1586). Sed analogia constructum est verborum, quae sunt „silere, tacere, sonare“, saepe cum accusativo coniunctorum. Praeterea recepit „quiescere“ accusativum et apud Plautum et apud Statium. — „Edissere“ (Herc. Oet. 1617) in suspicionem vocari non potest (Richter p. 29), cum etiam Oed. 787 et Agam. 966 legatur. — Miror, quod Birtius (p. 534) „vitam reddere“ (Herc. Oet. 117) num pro „mori“ dici possit, dubitat. Quod ita usitatum est, ut exempla afferre verear, ne nugarum reus fiam. Si vero a Seneca alienum esse illud putavit, legat Oed. 270: summum diem reddat, Agam 987: fratrem reddat aut animam statim. — Idem qua est doctrina, defectus est, cum „fuit“ (Herc. Oet. 105 = „esse desiit“) intellegere se negaret (p. 534). Cui enim hic

non in mentem venerit Vergili (Aen. 2, 325): „fuimus Troes, fuit Ilium"? — Porro Birtius (p. 535) optimam nobis praebet occasionem pro Seneca pugnandi. Verba enim v. 290: „coniunx Herculis timentis" ad intellegendum illi ita non aperta esse videntur, ut exclamet: „Herkules ein furchtsamer Gatte!" Novum hercle hoc esset et necopinatum, si quando diceretur. Nec tamen dicitur, cum apud Senecam ac nescio an apud neminem alium „timere" idem sonet atque „pugnare". cf.

Herc. fur. 44: nempe pro telis gerit,
quae timuit et quae fudit.
454: Lyc. Num monstra saeva Phoebus aut timuit feras?
Amph. Primus sagittas imbuit Phoebi draco.
Troad. 318: At non timebat tunc tuus, fateor, parens,
interque caedes Graeciae atque ustas rates
segnis iacebat belli et armorum immemor.

In Herc. Oet. 887: „fato ignoscere" (cf. 983) haesit Richter (p. 26), quamquam non video, quid ei offensioni fuerit. Similia sunt, quae leguntur Herc. Oet. 901: „fata quis damnat sua?" et 1426: „parcam fatis." Cum enim culpa in fato esse concedatur, idem et damnatur et absolvitur. cf.

Herc. Oet. 906: ter parricida factus ignovit tamen sibi, non furori.

Particularum usum, si de auctore quaeritur, magni esse momenti nemo est, qui neget. Quo tamen argumento Richter (p. 24 sq.) ita usus est, ut tota eius argumentandi ratio plane falsa mihi videatur esse. Inde enim, quod particula quaedam in ceteris fabulis legitur, desideratur in Hercule Oetaeo, de auctore quidquam posse colligi nego. Neque enim omnia, quibus uti solebat, verba in omnibus operibus auctorem adhibuisse necesse est. Itaque nihil probatur eo, quod „etiam" in Hercule Oetaeo non legi Richter (p. 24) dixit. Vidit hoc B. Schmidtius (observ. crit. in L. A. Senecae trag. Jenae 1865. p. 15/6), cui eo facilius assentiemur, si, quae sint apud Senecam addendi particulae, viderimus. Legimus enim „et" in Thy. sexies, in Herc. fur. sexies, in Troad. quater, in Phoen. novies, in Med. duodecies, in Phaedr. bis, in Oed. sexies, in Agam. sexies, in Herc. Oet. quater decies. „Quoque" in Thy. septies, in Herc. fur. novies, in Troad. sexies, in Phoen. duodecies, in Med. octies, in Phaedr. quater, in Oed. semel, in Agam. semel, in Herc. Oet. septies decies. „Etiam" in Thy. ter, in Herc. fur. quater, in Troad. ter, in Phoen. semel, in Med. bis, in Phaedr. bis, in Oed. semel, in Agam. semel, in Herc. Oet. nusquam. Vides igitur, quid valeat, quod rarior haec particula in Hercule Oetaeo non invenitur, inveniuntur crebriores illae saepissime. Ut autem hoc addamus, „etiamnum" legitur in Herc. fur. semel, in Troad. semel, in Phoen. ter, in Med. semel, in Oed. bis, in Agam. semel, in Thy. bis, in Herc. Oet. bis, in Phaedra non legitur: hac re num contra Phaedram suspicio nobis movebitur? — Haec, quae diximus, etiam in ea cadunt, quae de „potius" Richter scripsit (p. 27). Accedit, quod in huius vocis usu Hercules Oetaeus cum Agamemnone et Oedipode consentit. — Idem Richter in alia quoque re erravit (p. 24). Neque enim ita, ut illi placuit, in eiusmodi quaestionibus numeris agendum est. Repperit enim „saltem" in Hercule Oetaeo septies (87. 932. 1259. 1317. 1374. 1416. 1914), praeterea tantum Med. 1015 et Agam. 492 (addere possum Herc. fur. 1204). Sed quid inde colligemus? Non respuit hanc particulam Seneca, sed occasione oblata fortiter ea usus est: quae cum forte fortuna saepius in Hercule Oetaeo oblata esset, saepius hanc particulam adhibuit. — Eadem est ratio particulae, „nempe" quam in Hercule Oetaeo novies (332—353. 363. 366. 369. 374 — 437. 1911. 1912, addo 903), in Herc. fur. semel (44), in Troad. ter (325. 340. 744), in Phoen. bis (522. 523), in Phaedr. bis (244. 645), in Oed. semel (76), in Agam. semel (702), in Thy. semel (412) exstare Richter vidit. Huic autem particulae id quoque praesidio est, quod, ut adnotavit Leo (p. 66), v. 353—74 quinquies in una periodo membra argumentationis connectit. — Nec plus efficitur eis, quae de „forte, fere, donec, palam" Richter (p. 25 et 27) exposuit. Ipse Leo, cum rem retractaret, haec omittenda esse statuit. — „Interim" (Herc. Oet. 481. 930) idem sonare atque

"interdum" in tragoediis Senecae negavit Richter (p. 25. Birt. 516). Sed frequentissimus est hic usus in Senecae scriptis prosae orationis (de benef. 4, 37, 2, ep. 47, 5. 64, 6. 65, 16. 71, 28. 78, 28 et 29. 91, 21). — Herc. Oet. 13 21 Birtius (p. 547) per particulam „et" sententiam progredi negavit ideoque, „me" proposuit. Sed usum particularum, „et" ac „que" ignoravit, quae saepe transitum ad contrarium faciunt et nostro, „und doch" respondent. cf. Ag. 136. Med. 29. 135. Troad. 429. 1129. Phaedr. 369. 910. 1101. 1121. Thy. 196. — „Magis" pro „potius" (Herc. Oet. 1600) Leo (p. 56) aegre tulit. Sed lege Verg. ecl. 1, 11: non equidem invideo, miror magis.

Stat. Ach. 1, 140: sed longem cuncta enumerare vetorque; trade magis!

„Sive" (Herc. Oet. 1653) semel positum (Leo p. 62) egregia coniectura Birtius (p. 549) emendavit in: „si vel." — „Hinc" et „inde" idem significare posse, quod „deinde, tum" (Herc. Oet. 797. 1155. 1157), negavit Leo. Sed habemus huius usus exempla Agam. 431 — Oed. 559. Hipp. 1102. cf. ep. 90, 19. — Usum particulae „deinde," quo ad interrogationem ita accedit, ut non addat quidquam novi, sed repetat cum vi, quod ante dictum est (Herc. Oet. 859 et 1408), singularem esse Leoni (p. 62/3) concedendum videtur. Neque enim aliud huius usus exemplum proferre possum. — Pluribus Leo (p. 63/4) de „forsitan" egit. Ac postquam multa et viro docto digna de usu huius particulae, qui esset apud alios scriptores, exposuit, Senecam concedit et in pedestribus haud raro cum praesenti aut perfecto tempore coniungere „forsitan" et passim in tragoediis, ex quibus se Phaedr. 238 et Thy. 747 colligere potuisse (addendi erant Med. 290 et Thy. 316). Quibus obstare Leo pergit quattuor Herculis Oetaei locos (361. 768. 1781. 1791). Quorum ultimum reiciendum puto, ubi Leo ipse in textu scripsit;

Herc. Oet. 1791: forsitan poenas petet (sic A).

Antecedunt enim 1786 petet — obruent, 1789 ducar, 1790 carpent. Quid sequatur, per miseram loci condicionem pro certo affirmari non potest. Itaque etiam si numerari placet locos, Herculis Oetaei eadem est ratio atque ceterarum fabularum: restant enim in Herc. Oet. tres loci, at habemus in Thyeste dimidio minore · duos. Nec tamen ita ad numeros res mihi videtur revocanda esse. Nam mihi quidem abunde sufficit, quod, ut docuit Leo, neque in prosa oratione neque in tragoediis Senecam „forsitan" non cum praesenti aut perfecto coniunxisse demonstratum est. Denique Leo in forma, quae est „fors", haesit. (cf. Birt. p. 516). Sed in Etrusco legitur

Herc. Oet. 574: sed iecur forsan horridum flectam merendo.

Itaque Leo, si sibi voluit constare, a forma „forsan" orsus coniectura debuit locum sanare, fortasse sic:

sed iecur forsan rude fl. m.

Quamquam ne ego quidem vereor „fors" in textu relinquere, qua forma et ante Senecam et post eum poetae usi sunt. Variae enim huius voculae formae eo consilio fictae esse videntur, ut metricis difficultatibus subveniretur. Ceterum Leo ipse levius hoc esse argumentum p. 70 concessit.

De interiectionibus Leo cum disputaret (l. l. p. 66 sq.), recte statuit „pro" Senecam ita adhibuisse saepius, ut ad numen testemve, qui incovatur, proxime accederet. Ita legitur e. g. Herc. fur. 516 bis. Phaedr. 903, ita Herc. Oet. 965/6. 1173. 1175. 1364. 1531 (Dubii sunt 1201, ubi codd. „ferae" corr. Avantius; 290, ubi codd. „protector" corr. Lipsius; 1275, ubi A „protector", E pro rector). Sed etiam in simplicioribus exclamationibus habet locum haec interiectio.

Agam. 35: avo parentem, pro nefas, patri virum, natis nepotes miscui.

Oed. 19: pro misera pietas (eloqui fatum pudet).

His locis similes sunt Herc. Oet. 1419: „pro lux acerba, pro capax scelerum dies". 219: „pro saeve decor". 770: „pro diem, infandum diem". Nec dubito his similem putare 1803: „pro nimis felix, nimis". Nihil enim interest, nisi quod hic prima, illic tertia, quam grammatici dicunt, persona appellatur. Herc. Oet. 210 iure nostro omittimus, cum tantum in A „pro" exstet, quod ne Leo quidem in textum receperit de Wilamowitzium

secutus „a“ scribentem. Itaque vere a reliquo huius interiectionis usu recedit unus Herc. Oet. 1231: „pro quantum est malum“. Qui tamen eo facilius toleratur, quod „quantum est malum“ exclamatio est quaedam. — In eis, quae de „ei mihi“ scripsit Leo, vituperandum est, quod critica ratione non satis servata undique arripuit locos, qui proposito inservire posse viderentur. Ex quibus tres manuscriptorum dissensione dubii reiciendi sunt: v. 1172: „impendo, ei mihi, in nulla vitam facta“ (E) — „impendo male“ (A), quae lectio profecto non deterior est quam Etrusci. V. 1181 neutrius codicis verba sufficiunt: „cadere potuisset mihi“ E, „cadere potuissem mihi“ A. Quae cum ita sint, iniquum est coniectura verba in textum inserere, quae apud Senecam non solent legi, praesertim cum alia nec minus facilis pateat sanandi via. Quam Birtius (mus. Rhen. 1879. p. 541) ingressus proposuit: „cadere placuisset mihi“. Item v. 1205 de verbis non constat: E „perdidi mortem, ei mihi, totiens honestam“, A „perdidi mortem mihi totiens honestam“. Haec igitur, cum nihil habeant offensionis, verba praeferenda sunt. Quibus locis remotis restant tres: 1024. 1402. 1783 ac concedendum est abhorrere Herculem Oetaeum a ceteris fabulis huius interiectionis usu. Cui fortasse praesido esse potest, quod saepissime apud Ovidium obvia est, e. g. met. 1, 523. 6, 227. 7, 843. 9, 520. Sed cum solum fere hoc argumentum sit, quod non facile possit infirmari, quis una particula effici putabit, ut totam fabulam spuriam esse cuiquam persuadeatur?

Jam num quae sint in oratione, quibus pro Senecae Herculis Oetaei auctore pugnari possit, videamus. Quam rem quamquam plene tractare per loci angustias non licet, attingam, ne quid neglegentius praetermisisse videar. Nec multa habeo: quae autem habeo, ad compositionem spectant atque universam orationis indolem. Quam in eo potissimum spectari, quod sententias inter se connectere et continuam efficere orationem Seneca*) noluerit, docuit Otto Rauschning (de latinitate L. Annaei Senecae philosophi. Regimonti Pruss. 1876. p. 2 sq.). Itaque solet hypotaxin, quae dicitur, parataxi postponere, unde fit, ut quae conditionaliter dicenda erant, principali enuntiato dicantur. Exemplo sint haec:

Phoen. 63: in plana tendis? vado; praerupta appetis? non obsto, sed praecedo.
cf. Herc. fur. 84 sq. 446 sq. Thy. 473. Phoen. 591/2. Agam. 256/7.

Med. 238: virgini placeat pudor
paterque placeat: tota cum ducibus ruet Pelasga tellus.
cf. Med. 242/3. 462 sq. Herc. fur 419/20. Agam. 23 sq. Phaedr. 152 sq. 469 sq. 477/8. 563/4. 567/8. 741 sq.

Troad. 1018: tolle felices: miserum, licet sit, nemo se credet.
cf. Phaedr. 228/9. 812 sq. Agam. 278/9. Herc. fur. 433. 503/4.

Item Herc. Oet. 1388**): mille decurrant ferae
pariterque lacerent, hinc feris clangoribus
aetheria me Stymphalis, hinc taurus minax
cervice tota pulset et quidquid fuit
solum quoque ingens; surgat hinc illinc nemus
artusque nostros durus immittat Sinis:
sparsus silebo.

32: permitte tantum, genitor: inveniam iter.
323: effugere terras crede et humanum genus te posse — fulmen genitor Alcidae gerit.
Rarius consecutiva sententiarum ratio parataxi exprimitur.

Herc. fur. (Indorum segetem) conferte in aras: pinguis exundet vapor.
Agam. 496: miserisque lucis tanta dulcedo est malae: hoc lumen optant.
Herc. Oet. 80: Siculus Hesperium latus tangat Pelorus, una iam tellus erit.

*) Quem recte iudicavit Caligula commissiones meras componere et harenam esse sine calce (Sueton. Calig. 53).
**) Antea coniunctivus miscetur cum coniunctione „si“.

Interrogationes indirectae, quae dicuntur, passim ex verbo suo non pendent, sed per se stant. Leviora sunt huius rei exempla Phaedr. 850/1. Troad. 975. Herc. fur. 1301. Herc. Oet. 755/6. 1617. Insigniora sunt

Thy. 771: nec facile dicam, corpora an flammae magis gemuere.

Herc. Oet. 274: reperi, quid haeres.

364: adice, quot nuptas prius, quot virgines dilexit.

Quo in loco vel hoc valde memorabile videtur, quod Rauschningius (l. l. p. 10) verbi „adicio" per parataxin positi nisi ex Seneca exemplum proferre se posse negat. — Ultra haec progrediuntur

Agam. 404a: tu pande vivat coniugis frater mei,

ubi particula interrogativa omissa est,

et Agam. 414: Effare, casus quis rates hausit meas aut quae fortuna dispulerit duces,

ubi a directa interrogatione ad indirectam transitur.

Porro impeditum reddit sermonem Seneca sententiolis passim insertis (cf. Rauschning. p. 4). Inter quas sunt „crede" Herc. Oet. 451. Thy. 446. „fatebor" Herc. Oet. 491. Med. 237. Troad. 276 („fateor" saepissime). „iube" Herc. Oet. 576. Med. 189. „quaeso" Herc. Oet. 765. 1404. Phaedr. 862. Med. 514. „precor" Herc. Oet. 982. 1317. 1404. 1416. 1607. 1659. 1703. Herc. fur. 1015. 1249. 1338. Phaedr. 165. 248. 599. „precor"

Herc. Oet. 1961: quid timuere tui manes, precor? ad interrogativam sententiam accedit, cuius licentiae Rauschningio (l. l. p. 7) Seneca unus testis videtur. „parce" Herc. Oet. 1942. Herc. fur. 314 (bis). Phoen. 40 (Herc. Oet. 442. 982. 1447 cum alio verbo coniungitur). „quid hoc" Herc. Oet. 307. 1015. 1432. 1441. Herc. fur. 939. 976. 1193. „hoc age" Herc. Oet. 1717. Med. 562. 976. „pudet" Herc. Oet. 1267. pudet fateri Herc. fur. 1147. pudet doletque Agam. 162.

Aliud est Senecae proprium, quod eandem sententiam bis terve volvit ac, tamquam ipse sibi satisfacere non potuerit, repetit mutatis verbis. Quod quomodo intellectum velim, apparebit exemplis. Idem legitur

bis: Troad. 40*): meus ignis iste est, facibus ardetis meis,

ter: Med. 32: da, da per auras curribus patriis vehi,
committe habenas, genitor, et flagrantibus
ignifera loris tribue moderari iuga,

quater: Troad. 1060: quoscumque luctus fleveris, flebis meos:
sua quemque tantum, me omnium clades premit;
mihi cuncta pereunt: quisquis est Hecubae est miser.

Cum his ex Hercule Oetaeo conferenda sunt: Herc. Oet. 43 sq. 152. 178 sq. 247 sq. 267 sq. 292 sq. 304. 341 sq. 395 sq. 401 sq. 419. 425 sq. 431 sq. 445 sq. 531 sq. 761 sq. 934 sq. 1131 sq. 1134 sq. 1149 sq. 1171 sq. 1197 sq. 1265. 1323 sq. 1350 sq. 1367 sq. 1442 sq. 1510 sq. 1674 sq. 1774 sq. 1842 sq.

Prope huc accedit, quod Seneca uno verbo non contentus saepe duobus idem fere significantibus utitur, quae anaphora inter se coniunguntur.

Phaedr. 100: non me quies nocturna, non altus sopor solvere curis.

cf. 375/6. 803. — Herc. Oet. 56 sq. 143 sq. 167 sq. 364 sq. 882 sq. 1319. 1321. 1349. 1588. 1825. 1911 sq.

Hinc est etiam illud, quod insolitum esse et a puriore sermone remotum dixit Rauschningius (l. l. p. 20), ut duo tantum enuntiationis membra nullo inter se vinculo connectantur.

*) Quod quam frequens sit, ex Troadibus videre licet; lege enim v. 62. 84 sq. 132 sq. 166 sq. 170 sq. 423 sq. 499 sq. 529 sq. 552 sq. 651 sq. 681 sq. 747 sq. 866 sq. 911 sq. 955 sq. 962 sq. 1006 sq. 1009 sq. 1065 sq.

Herc. Oet. 5: perfidi reges iacent, saevi tyranni.
1275: flentem, gementem, summe pro rector poli, me terra vidit.
1492: victor cruentus abstuli patriam, lares.
1751: repetit intrepidus, ferox.
cf. Troad. 498. 582. 861. 933. 967.

Unum habeo, quod addam, quod saepe idem verbum, quo fortius prematur, nullo aut brevi intervallo interposito repetitur.

Troad. 107: nunc, nunc vires exprome dolor. cf. 191. 625. 627. 680. 707. 721. 739. 854. 993. 1165. — Herc. Oet. 87. 202. 207. 344. 550. 631. 753. 765. 846. 861. 1130. 1435. 1825. 1873. 1880. 1930. 1944.

Herc. fur. 50: vidi ipsa, vidi nocte discussa inferum. cf. 75. 550. 1147 sq. 1314. — Herc. Oet. 756. 770. 813. 868. 950. 1201. 1233. 1338. 1399. 1778. 1803. 1891. 1959.

Herc. fur. 1131: ite ad Stygios, umbrae, portus, ite, innocuae.
cf. 1063. 1156. 1177. — Herc. Oet. 939 sq. 1013/4. 1270/1.

Quae si animo complectimur, plurima argumenta eorum, qui Herculem Oetaeum a Seneca abiudicaverunt, aut infirmavisse aut refutavisse, haud pauca, quibus pro Seneca pugnari posset, attulisse nobis videmur. Itaque quoad non graviores motae erunt dubitationes, Herculem Oetaeum Senecae relinquendam esse censemus.